

CVII

Theologie





*Perz. 199*

VARENIUS, Augustus. A collection of 9 works in one vol., consisting of: 1 Rationarium theologicum de scriptoribus ecclesiasticis...Rostock, 1669. (6 lvs, 192 p.). 2 Rationarium theologicum de scriptoribus ecclesiasticis, seculi II. Rostock 1673. (6 lvs, 200 p.). 3 Gemmae Salomonis, filii David, regis Hierosolymitani, cujus liber...sub quadruplici Gemmatâ Muraenulâ expectorali Pontificali numeratâ brevi curriculo repraesentatur & ex Consilio fontium in difficilioribus explicatur. Rostock 1659. (4 lvs, 104, (3) p., blank lf). 4 Dissertatio de canali traditionis...Rostock 1654. (4 lvs, 88 p.). 5 Anticalvinismus orthodoxus...Rostock n.d. (titleleaf, 74 p.). 6 Anti-Socianismus orthodoxus...praeside A.V....publice respondens exhibebit Gothofredus WEISS. Rostock n.d. (2 lvs, 64 p.). 7 Dissertatio theologica de presbyterorum clericorum dignitate, et potestate ordinandi...praeside A.V. publicae eruditorum collationi submittit Michael HENTSCHELIUS. Rostock 1682. (22 lvs). 8 Invitatio ad disputationem inauguralem viri reverendi & clarissimi Dn. Johannis Georgii Hofmanni. Rostock 1671. (8 lvs). 9 Verbum caro factum est seu Dissertatio de incarnatione verbi ex Cap. I. Johann. v. 14. Sub praesidio A.V. proponit Johannes Georgius HOFFMANN. Rostock 1671. (20 lvs) (margin of 2 lvs repaired; some small wormholes not affecting text) -C.15-

Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann



DISSERTATIO THEOLOGICA  
<sup>DE</sup>  
PRESBYTE-  
RORUM CLERICORUM  
DIGNITATE, ET POTE-  
STATE ORDINANDI

Ex jure divino, & antiquo Ecclesiastico,  
& hac occasione

<sup>DE</sup>  
EPISCOPIB, PRESBYTERIS,  
CHOREPISCOPIB,

<sup>Quam</sup>  
In illustri Academiâ ROSTOCHIENSI  
Moderatore supremo animarum nostrarum EPISCOPO,  
Eodemq; nostræ confessionis APOSTOLO,  
CHRISTO JESU,

PRÆSIDE  
DN. AUGUSTO VARENIO,

D. Coll. Theol. & totius Univerf. Rostoch. SENIORE  
Facult. Sacræ Theol. h. t. DECANO

*DOMINO, Præceptore, Patrono, & Hospite suo omniobservantia cultu  
æternum debenerando,*

*Publicæ Eruditorum collationi submittit*

MICHAEL HENTSCHELIUS,  
LUBECENSIS.

*Ad diem XXVIII. Januar. Anni M. DC. LXXXII.*

IN AUDITORIO MAGNO,

*horis inde ab 8<sup>ta</sup>. antemeridianis.*

---

Rostochi Typis Viduæ B. FRID. KELLENBERGII, Univerfit. Typogr.



DISSEMINATIO THEOLOGICA

PRÆBENDÆ

FORNIMONTIENSIS

DIGNITATIS

STATE

EX

EPISCOPI

IN

BY

MICHAEL

1711







Τὸ Κυρίως οὐνεργεῖν

§. 1.

**I**Nter argumenta secessum ad Papismum amplectendum persuasura, inque Consilio sic Papistarum Apostatico principem locum obtinere, & ex Principibus quoque Viris alios capere, alios cum scrupulo dimittere, illud de defectu apud nos *Episcopalis ordinationis*, ipsiusque sic *Ecclesiastici sacerdotalis Ordinis*, & *Successionis*, res ipsa, publica quoque sic abundè satis loquitur tristissimorum casuum (ad quos magis, quàm ad illos in montanis Gilboa militantium fortissimorum casus intonare licebat patheticum illud epiphonema 2. Sam. I. 19. 25. *quomodo ceciderunt Heròes!*) experientia.

§. 2. Non sanè alio magis argumento nostris Ecclesiis insultat adversaria, quàm, quod Ordo apud nos *Sacerdotalis Ecclesiasticus* hodie nullus sit, quippe qui in Luthero, paucisque aliis in Romanâ Ecclesiâ legitimè ordinatis, Papatu egressis, & ab Episcopis Romanis Presbyteralem quidem, sed nequaquam Episcopalem characterem adeptis, illo adèò ordinandi alios sive Presbyteros, sive Diaconos, & multò magis Episcopos, axiomaticè planè destitutis, in trunco, & ramis exaruerit, neque tales legitimè ordinatos ad posteros transmittere potuerit. Et utat tandem concedat nostris Ministros, qui *prædicare Verbum*, & *baptizare* possint (quod utrumque, etiam in *Laicos* aliquando cadere, utrinque consensus est) usque adèò, ut nec in *Enchiridio controversiarum Costerus Jesuita* legitimam vocationem nostris derogare ausus fuerit, confessus: *plerosque nostrorum Episcopos, Presbyteros, & Doctores ex ordine, docendæ munus accepisse, & hoc saltem desiderans, quod illà potestate abutantur ad nova dogmata, vel decreta fabricanda*: qui tamen sive *χρεῖσθῆναι* absolutoriam, sive *χρεῖσθῆναι* ordinatoriam, & consecrationem Sacramentalem præstare possint, legitimare nos posse negat, atque sic nostram,

A

quibus



quibus per 160. vel ultra quoq; annos, vano Sacerdotalem Ecclesiasticum Ordinem habendi simulacro, miserè impositum fuerit, & Cottidie vanâ ordinatione, absolutione, sacramenti Euchari-  
stici confectione imponatur, miseriam vel flebilibus modis, ubi  
quid apparet prædæ, Hyæna illa lamentatur.

§. 3. Equidem, quod de contradistincto *Uni Sacerdoti*, ei-  
demq; *in æternum, secundum ordinem Melchisedec*, visibili quo-  
dam N. T. *Sacerdotio* obvertitur, quantâ labore in charybdi, vel  
ipsæ Tridentinæ loquuntur hypotheses, sc. *dari in Ecclesiâ N. T. jus-  
gem quandam, & iterabilem, ac iterandam, veram tamen, & pro-  
priam corporis, & sanguinis Christi sacificationem, & adeò pro-  
pter tale sacrificium verum, & proprium, verum & proprium quo-  
que sacerdotium visibile, & externum, tale, in novissimâ ante mor-  
tem nocte, à DOMINO JESU in primâ cœnâ, per verba: HOC  
FACITE, institutum, ipsosq; Apostolos tunc Sacerdotes ordinatos,*  
qui adeò tunc, velut *Sacerdotes confectioni deinceps*, biberint de  
Sacramentali Calice, & unâ cum obligatione sacrificandi, pote-  
statem illam sacerdotalis Ordinis debuerint ad Successores in Sacer-  
dotio, longo ordine adusq; consummationem seculi, transmittere.  
Sublato adeò tali sacrificio, tollitur quoq; visibile tale Sacerdo-  
tium, cujus nullum apparet in Scripturis Canonicis N. T. vestigium,  
magis quàm in universâ antiquitate tale verborum illorum, HOC-  
FACITE! interpretamentum Tridentinis excogitatum. Vid. sess.  
22. cap. 9. Can. 1. 2. sess. 23. cap. & can. 1. & seqq.

§. 4. Quod Lutheri Ordinatio legitima agnoscat, velut lu-  
culentam veritatis confessionem admittimus. Ordinatus Ille Do-  
minicâ Cantate Anno 1507. nihil eorum, quæ in ordinatione, ex  
Agendorum Moguntiacorum tenore, compromiserat, intermisit,  
*obedientiâ, & reverentiâ Hieronymo Episcopo Brandenburgensi*, aliis-  
que superioribus, quos inter eminebat Staupitius, usq; adeò pro-  
batus, ut nunquam de eo conqvesti fuerint, quin virum  
in summo pretio habuerint. Sed &, quod in juramento Licenti-  
andi Anno 1508. juraverat, se *veritatem Evangelicam pro suâ viri-  
ti defensurum, & Anno 1512 in juramento Doctorandi, se vanas  
peregrinas doctrinas ab Ecclesiâ damnatas, & piarum aurium  
offen-*



offensivas non dogmatifaturum: sed dogmatifantem DN. Decano denunciaturum, pro virili præstitit, ab ipsâ juramentorum fide ad necessitatem reformationis (quippe quam, propter idololatrias, in Dēum contumeliosas, & blasphemias invocationes, indulgentias venales, & alios, qui irrepsent, errores, in doctrina, nec minùs ob corruptissimos Cleri mores, in capite æq; ac membris, in vitâ, necessariam agnoverant, præter Adrianum Pontificem, Cæsares, Reges, S. Rom. Imp. Principes) excitatus, inque Solem, pulveremque extrusus.

§. 5. Foedissimam illam Indulgentiarum nundinationem quidem oppugnavit, & cum Tecelio, altero Ischcarjotâ, & hujus hyperaspistâ Silvestro Prieriate in arenam descendit: ceterùm nil in hac pugna temerè; sed ex agnitâ, etiam Scriptoribus Pontificiis, necessitate, & juramentorum ordinationis, & promotionis religione omnia egit. Candidè, cordateq; suo more illud agnovit. Thuanus: Leo X, inquit, peccatum tunc in sacris muneribus dispensandis admissum, mox longè graviore cumulavit. Nam, cum alioqui ad omnem licentiam suâ sponte ferretur, Laurentii Pucci Cardinalis, hominis turbidi, cui nimium tribuebat, impulsu, ut pecuniam, ad immensos sumtus undique corrogaret, missis per omnia Christiani Orbis regna diplomatibus, omnium delictorum expiationem, ac vitam aternam pollicitus est, constituto pretio, quod quisq; pro peccati gravitate dependeret, in eamque rem per Provincias Quæstores, & æraria ordinavit, quibus additi Praecones, qui tanti beneficii magnitudinem apud populum commendarent, & orationibus artificiosè compositis, propositisq; palàm libellis rei efficaciam immoderatè extollerent: quod licentiosè nimis à Pontificiis Episcopis, & præcipuè in Germaniâ fiebat, ubi, qui redimendam pecuniam Romæ à Pontifice conduxerant, per lustras, & popinas quotidie sine pudore, in alea lusum, ususq; turpissimos potestatem extrahendi animas defunctorum ex igne expiatorio, profundebant. Tunc exortus Martinus Lutherus Augustinianus Witteberge in Saxoniâ Theologiam professus, eò postremò devenit, ut ipsam Pontificis potestatem, quam sibi per illa diplomata arrogabat, in dubium vocaret, ac tandem ad doctrinæ examen, quam



*successu temporis labefactam dicebat, crescentibus per contentione animis descenderet.* Hæc historiarum lib. 1. ad A. C. 1515. Thuanus.

§. 6. A Papâ Leone X. in ipsis mox primordiis damnante, & *terribili Excommunicationis Bullâ fulminante*, Schismaticiq; sic causam dante, ad Concilium generale solemniter quidem appellavit: ceteram non alio sic jure usus, quàm in cujus possessione, & exercitio fuerat eousq; Ecclesia, quodque paucis antea annis, immò illo ipso reformationis anno primo, s. 1517. (non obstante, quod Ludovicus XII. & ejus Successor Franciscus I. Galliarum Reges in Bononiensi subscripsissent Concilio Lateranensi) pro asserendo dogmate, *de Concilii superioritate supra Pontificem*, ipsaq; sic *definitione Concilii Pisani, Constantiensis, & Basileensis*, cui contrariam, pro Pontifice *R. supra concilium*, ediderat Lateranense, ab A. 1511. ad 1518. continuatum, à Pontificibus Julio II. & Leone X. velut *malè consultis*, ad Concilium generale, & liberum appellando, ipsâ praxi Sorbona ostenderat.

§. 7. Quid opus erat ad humiles initio Elenchos, nec tam indulgentiarum, quàm crassissimorû harum abusu adeò in pauperulum Augustinianum sævire Leones, ac, lite pendente, in Lutherum Monachum, qui ad Concilium appellaverat, fulmina emittere anathematum? Solutus jam olim fuisset orbis Christianus, si in rugientes adeò Leones, & inclementes adeò Clementes (qualis ille Clemens VII. Cæsarem Carolum tyrannidi Papali infensum, magno suo damno expertus) Pontifices incidisset, quæ in sanctiores Romæ Episcopos, & longo ordine Martyres, *Fabianum, Cornelium, Lucium, Stephanum, Dionysium Rom.* incidit, ætas Cypriani. Pro *baptizatis sub heresi*, ubi ad Ecclesiam pervenerint, promiscuè *rebaptizandis*, vehementer aliquando contra Cornelium inprimis, & Stephanum, Romanos Pontif. causam egit, & durissimè scripsit Cyprianus, immò, prout Augustinus loquitur l. 5. de Bapt. cont. Donatistas c. 25. *in Stephanum Cyprianus irritatus, quædam effudit, quæ periculum perniciose dissensionis habuerunt.* Erat, citra dubium causa Cornelii, & Stephani melior, quàm Cypriani. Videri quidem Cyprianus voluit vel maximè Scripturarum armis hîc pugnare, e. c. argumento ab *arcâ Noe*, probaturus, *baptis-*

mm



num non esse, nisi illorum, qui sunt intra arcam, s. Ecclesiam, ex  
1. Petr. 3. 20. 21. & illo ex Cantico c. 4. 12. de Ecclesiâ, horto conclu-  
so, fonte signato, puteo aquæ vivæ, nec minùs, illo de uno baptis-  
mate, æquè ac uno DEO, uno Christo, unâ fide, unâ spe ex Ephes.  
4. 5. de solâ sponsâ Christi (Ecclesiâ, Filios (per baptismum) generante  
Cant. 1. 16. c. 3. 1. 7.

§. 8. Ceterùm præterquàm quod ex illis Scripturæ locis solidè nõ pro-  
baretur à Cypriano probandum, vel maximè pro Cornelio, & Stephe-  
no Romanis, s. dogmate de promiscuè non rebaptizandis (sub hæresi  
baptizatis, militabat dogma de efficaciâ Sacramenti non dependen-  
te à Ministrî dispensantis dignitate: sed ab Institutionis, vel ipsi-  
us Christi instituentis virtute, vel auctoritate 1. Cor. 3. 5. 6. 7. Exod.  
4. 24. 25. 26. Coloss. 2. 11. 12. Joh. 1. 26. 27. 33. c. 3. 22. c. 4. 2. Matth. 10.  
4. 5. 6. 7. Galat. 3. 27. Joh. 13. v. 10. 2. Cor. 11. 3. 4. 13. 14. 15. 18. 19.  
1. Cor. 1. 13. c. 15. 32. 34. & conf. Aug. 1. 5. de Bapt. contra Donatistas  
c. 24. 25. 28. 1. 3. cont. lit. Petil. 1. 1. cont. Crescon. c. 29. 31. sic, ut legi-  
timato dogmate de non rebaptizando, non potuerit non hîc error  
esse, dogma Cypriani, quem tamen non solùm non correxit: sed  
& Africanam Synodum Romanis opposuit, & tamen nec ab Ec-  
clesiâ exiisse est habitus, nec ullâ severiore censurâ, nedum ex-  
communicationis bullâ, separatus.

§. 9. Lutherus contrâ, in causâ notoriè bonâ, immo Zelota  
adhuc Pontificius, & Ecclesiæ Rom. ac Pontificis etiam tunc  
Venerator maximus, cum multa, immo omnia ferè adhuc con-  
cederet Papistis, quæ progressu temporis deinceps demum retracta-  
vit, in ipsis statim initiis Schismaticus, & hæreticus est proclama-  
tus, ad vivicomburium (æquè ac ante seculum tunc Hussus) expo-  
stulatus, damnatus, qui adeò, anteqvàm se à Romano-Papisticâ  
separaret, horrendis anathematum fulminibus, separatus, exivit  
sic cum Confessoribus nostris Curiam Romano-Papisticâ, & illâ, quæ  
ad instar tuberis deformis pulcherrimo quondam corpori Ecclesiæ  
Romanæ accreverat, Satana Synagogâ, non Ecclesiâ, quantum con-  
sonabat adhuc veteri, Romanâ, nedum Catholicâ, nec ut hæreticus  
à Catholicis, (etsi pro tali, immò pro hæresiarchâ habitus, æquè  
ac à Tertullo Paulus Act. 24. 5. 14.) sed ut Catholicus ab hæreticis,  
A; & prout



& prout illi, quibus acclamatum illud: *Exite, exite, immundum ne attingite!* Jes. 52. 11. Apoc. 18. 4. 5. 2. Cor. 6. 17. cum contra Curia Romana Apostatica (qualis *Αποστασία* prædicta 2. Thess. 2. 3. 4. 8. 9. 10. 1 Tim. 4. 1. Apoc. 13. 12. 16.) exiverit magis atque magis à Catholicâ in Bonifacio III. Seculo 7. consumatoq; Orientis, & Occidentis schismate in, Gregorio VII. Sec. 11. & cum per tria Concilia videretur immani illi Tyrannidi obviam itum sec. 15. ad fastigium schismatis, & hæreseos processit in Concilio Lateranensi & Tridentino, veritate non abnegatâ saltem; sed & horrendis anathematismis abjuratâ, & damnatâ.

§. 10. De Lutheri ad Ordinationem res liquida, & ejus, quem Papatu extulerit, caractere indelebili, propter quem, juxta Papistas, qui Sacerdos semel est factus, Laicus rursus fieri non potest (conf. Concil. Trid. sess. 23. cap. & can. 4.) Ceterum, cum juxta definitionem, & contradistinctionem Presbyteri & Episcopi Canoniceam, non hujus; sed illius characterem extulerit, Minister autem Ordinationis non Presbyter, sed Episcopus sit, quod non tantum defendunt Bellarminus l. de Clericis c. 4. & 14. Richardus Montacutius Orig. T. 2. Bilson de gubern. Eccles. c. 16. Carletonus de consensu Ecclesie c. 11. & communiter Papistæ: sed & sub anathemate definivit Synodus Tridentina sess. 23. pronuncians: *Si quis dixerit, potestatem confirmandi, & ordinandi, quam habent Episcopi, illis cum Presbyteris communem esse, anathema sit,* equidem si in illam questionem propioris facti excurrendum, difficile haud foret remonstrare, etiam Caractere Episcopali, immò Archiepiscopali fulgidos Papatu egressos, ad A. Conf. Ecclesias transivisse, & indelebilem illum, quem asserunt, characterem secum extulisse.

§. 11. Testis ipsum decretum Augustanum A. 1555. de Episcopis à Rom. religione deficientibus, salvâ cetero qui famâ, & existimatione, administratione quidem & præfectura illa sacra decessuris, de cetero in religione sua, privilegiis, & jure non turbandis, ut nihil nunc, vel in transcursu saltim, memoremus de Marco Antonio de Dominis, Salonitano Archiepiscopo, duorum regnorum Dalmatiae, & Croatiae Primate, celebrius, sanctiusque nomen obtenturo, nisi occasione hospitii Britannici in doctrinâ de coenâ Domini ad Calvinistas decli-



declinasset, & de cetero, ab illâ, quàm jam per tot annos agno-  
verat, justitiæ viâ senex regressus, Romamq; etsi corpore magis,  
quàm corde, reversus, venerabili ceteroqvi canitie maculam, sibi  
autem palinodiâ in carcere, infamiam addidisset, qui tamen ob re-  
perta post mortem, quæ & pœnitentiam regressus, & fidem à Ro-  
mano-Papistica alieniorem ostendebant, *exhumatus, sententia co-  
ràm sua defuncti imagine pronunciata A. 1624. d. 21. Decembris  
in acie campi Flora, Romæ est exustus.*

§. 12. Ut nihil nunc de pari fratrum *Vergeriorum*, quorum  
alteri Episcopo in *Itali a Polano* prænomen *Johannis Baptista*, alte-  
ri Episcopo in *Italia Justinopolitano*, nomen *Petri Pauli*, quo-  
rum ille quidem post Episcopalem suam Polam, & Istriam Evange-  
lii lumine illustratam, ab infensis religioni boleto sublatum, occi-  
dit; hic autem *horrendo, Francisci Spira, Apostata in Italia desperan-  
tis, exemplo terribus*, Episcopatu, ditionibusq; in Italiâ amplissimis  
relictis, *ad Nostros egressus, in Valle Telina, quâ Italiâ spectat, apud  
Rhetos, inde in Ducatu Wurtembergico per multos annos Evangelio  
um publicè docuit, ac in agnita veritate Evangelica, XVII. ex quo ad  
nos transiverat, anno sc. 1565 d. 4 Octobr. placidè, beateq; exspiravit.* vid. *Christ. Matth. Theatr. histor. in Carolo V. p. 1070. 1071.*

§. 13. Ita (Sleidano l. 18. hist. ad A. D. 1547. teste) *Herman-  
nus Archiepiscopus Coloniensis*, eminentissimo Archiepiscopatu,  
splendidissimo tot ditionibus, & axiomate imperiali Electoratu,  
& per Italiam Cancellariatu abdicare anno superioris seculi 47  
maluit, quàm veritatem cœlestem sub ipsâ Papatus opacâ nocte  
agnitam, assertamq; publicè, abnegare, perseverans ad finem usq;  
vitæ, qui illi jam ætate gravi A. 1552. obtigit, Confessor nostræ reli-  
gionis. Vid. *Sleid. comm. l. 24. ad A. 1552.* Provocare non minùs in  
quæstione facti licebat ad alios in Germaniâ Antistites, & maximè  
in regnis Aquilonaribus, qui, sub Papatu ordinati Episcopi, & hoc  
dein egressi, Diaconos, Presbyteros, Episcopos, ordinando, non  
ad indigenas solum: sed & extraneos Ecclesiarum Doctores Ordinem  
propagarint, & nunc quoque alicubi propagant.

§. 14. Ceterùm his, *quæ à Papistis inprimis, & à posteriori, ac ex  
hypothesi necessariæ talis, qualis postulatur à Papistis, in nostra tem-  
pora*





pora deducendæ ordinationis, sic præmissis, ne tamen aliorum five ordi-  
nantium five ordinatorum (qui illas suæ *χρυστάτης* origines, longasq;  
lineas legitimare non possint) sive ab his, ex suppositâ fide ordinatio-  
nis legitimæ, sacra absolutionis, & Eucharistiæ percipientium consci-  
entiis laqueus injiciatur, à priori, caussa illa Ordinationis nostro-  
rum Antistitum, & Presbyterorum deducenda, & à præjudiciis Pa-  
pisticis, solis Episcopis, privativè respectu Presbyterorum, illam arro-  
gantibus, vindicanda fuerit. Dignus sanè Vindice nodus, &  
Blondelli in Apolog. Hieron. iudicio, *non modò Hercules: sed  
plus quam Gordius, Alexandri gladio potius abscindendus, quam  
rationibus expediendus.* Ceterum nec opus hic Alexandro, nec  
Alexandri gladio; sufficit armari Apostolico,

§. 15. Queritur, an de jure divino, & consonante huic  
vetustissimo Ecclesiastico, Episcopis peculiaris, & non commu-  
nicanda Presbyteris, competat prerogativa ORDINATIONIS, sic,  
ut sive utroq; , sive alterutro jure Ordinatio Presbyteris simpliciter  
fuerit adempta, solis, iisdemq; olim æqvè, ac nunc, jure canonico  
contradistinctis Episcopis, velut hujus peculiaris ordinis chara-  
cter, reservata, & propria dicata? ubi negativam tenentibus no-  
bis, pro affirmativâ militant Papistæ, conf. supra §. 10.

§. 16. Et pro paritate illâ Episcoporum, & Presbyterorum,  
de jure divino imprimis, & antiquissimo Ecclesiastico, ne ipsa qvi-  
dem olim exceptâ Ordinatione, ante 1300. annos, causam tantâ  
*πρόποσις*, cum latis etiam Scripturæ locis, peroravit Hieronymus  
in Epist. ad Evagrium (85) & comm. in Epist. ad Titum, ut, licet  
in eandem sententiam inclinatiores quoque fuerint Ambrosius, Au-  
gustinus, Chrysostomus, Sedulius, Primasius, Oecumenius, Theo-  
phylactus, nullus tamen in augustissimo Patrum choro facundio-  
ri quodam tonitru pro Presbyterorum æqualitate intonuerit.  
Cumq; Hieronymus tanti Gelasio Pontifici fuerit habitus, ut hic in  
Concilio Romano ex cathedrâ pronunciârit, illum omnibus Scri-  
ptoribus Ecclesiasticis antecessoribus præferendum, *illa sc. sentienda  
esse, quæ B. Hieronymus senserit, contra, reprehendenda, quæ il-  
le zelo Dei, & fidei religione reprehenderit, vid. dist. 15. c. Sancta  
Romana*, insigne in controversiâ hîc compendium fuerit, Hierony-  
mianæ



mianæ illi sententiæ, sine violentâ hujus detorsione, candidè subscribere.

§. 17. Et tamen, ut appareat Papismus sine fronte, & nec Patres, sive Scriptores veteres Ecclesiasticos, nec ipsas Pontificum antiquorum cathedrales decisiones curare, Michaël Medina scriptor Pontificius veritus haut est, fulgidissimo illi Ecclesiæ Lumini, nec solùm huic: sed & augustissimis illis in choro S. Patrum Scriptoribus Ecclesiasticis, tantisq; ad eò Nominibus ( §. 16. memoratis ) obstrepere, imo, dicam illis hæreseos Aërianæ, quæ æqualitatem Episcoporum, & Presbyterorum docuerit, acerbissimè scribere. Ita sc. illi Martyromastiges, ubi quid in Scriptoribus illis pro suâ Papisticâ inveniunt, quod non pueri in fabâ, mirificè pro illorum auctoritate declamant, ubi quid adversum, omnem illis auctoritatem abrogant, universumq; illum Patrum, s. antiquitatis consensum, ex auctoritate præsentis Ecclesiæ, & hujus consensu mensurari postulando, in *questionibus circa fidem antiquos Doctores, etiam simul sumtos, potuisse errare* clamitant, imò audacter illis, prout alibi, e. c. in controversiâ *de statu animarum separatarum, & harum reminiscentiâ, ac sensu beatitudinis, Psychopannychitarum, & Armenorum* ( conf. Sixtus Senens. Bibl. S. in locum Apoc. 6, 9. ) ita hîc *Aërianorum* hæresin imputant.

§. 18. Equidem contra illam imputatam, assertamq; Hieronymo *Episcoporum, & Presbyterorum paritatem*, ne ipsâ quidem *Ordinatione exceptâ*, militare videbatur illud ex celebratâ Hieronymi ad Evagrium Epistolâ decantatum axioma: *Quid facit, exceptâ ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Ceterùm præmiserat jam Hieronymus, quid Apostolorum ætate, quid ex vetustissimo post tempora Apostolorum Ecclesiastico jure, allegato veteris *Alexandrinæ Ecclesiæ* exemplo, obtinuerit, & illis jam præmissis, non de tempore Apostolico: sed propriâ ætate, non de jure illo Ecclesiastico antiquissimo: sed medio, non de illo, quod ex dispositionis Dominicæ veritate; sed quod ex solâ consuetudine, & Canonicâ Ecclesiasticâ auctoritate, suâ jam invaluerat ætate, locuturus, interrogatiunculam illam proposuit. Si enim non Diaconorum modò, & Presbyterorum, sed etiam E-

B

pisco-





Episcoporum à Presbyteris factas ordinationes Ecclesiam ubique locorum, vel certè in primariis quibusdam cathedris Episcopalibus ratam habuisse, evictum fuerit, quidni posterioribus temporibus, & inde à mediâ ætate demum, prout quædam alia; ita & Ordinationis jura, solo positivo, & consuetudinario jure Episcopis solis reservata, Presbyteris adempta, & sic, postquam invaluerat illa mutatio, quæ *Episcopatum à Presbyterio*, velut ordinem distinctum, separaret, magnâ, tenacissimâq; provisione, ne Episcopatus, & ordinatio ad hos rediret, cautum fuisse, concludere liceat?

§. 19. Ceterùm nec (1.) semper ita fuit, nec (2.) ubi jam transierat ad unum, Episcopi nomen, Ordinatio quoque statim ad unum transit, neq; (3.) ubi Ordinationis quoq; axioma sic ad unum, privativè respectu Presbyterorum, transire cœpit Episcopum, ubiq; statim & simpliciter à jure ordinandi, vel hujus communiōne Presbyteros exclusit, nec (4.) deinceps intra solos interceptæ ordinationis limites causa Presbyterorum constitit: sed adempto jam his communi antea, & æquali Ordinationis jure, quanto plus Episcopis, quò firmatior, & conspectior horum constaret auctoritas, *reservamentorum Episcopaliū titulo*, indies adjectum, tantò magis de Presbyterorum jure, & auctoritate fuit deminutum, usq; adeò, ut jam suâ ætate, Diaconos inde insolentiores factos insurrexisse in Presbyteros, *paulatim increbrescentibus vitis, & in pejus ruenti Politia Ecclesiastica* transcribat Hieronymus, *discant, inquit, qui hoc faciunt, se non rectè facere.* vid. Epist. 85.

§. 20. Quadruplicem hinc ex historiâ universâ, sacrâ, & Ecclesiasticâ ætatem discernere licebat, primam *Presbyteralis, & Episcopalis æqualitatis*, secundam *Episcopatus à Presbyteratu separationis*, salvo tamen sive ubiq;, sive alicubi adhuc communi jure ordinationis, tertiam *Episcopalis, quoad præcipuum ordinationis axioma, superioritatis*, quartam *sacræ Episcopalis tyrannidis, & per hanc immanis illius Episcoporum supra Presbyteros erectionis*, & horum infra illos deminutionis, unde enata illa *differentia specifica, & proportio differentie inter ordinem Episcopalem, Presbyterii &c. cum quo ad officii*



ad officii determinationem, tum quoad præcedentiam digni-  
tatis, quam hodiernum ostentat Papismus, quæ tantum abest, ut  
sit juris divini, ut ne quidem sit juris Ecclesiastici sive antiqui, si-  
ve medii; sed posteriori, & corruptiori debeat ætati.

§. 21. In primâ sc. ætate, prout *Presbyteri communi con-  
silio Ecclesiarum gubernabant*: ita & ordinandi jus habebant, & ipsi,  
quod & *Episcopi, & Presbyteri* essent, Presbyteros, qui idem pror-  
sus cum Episcopis erant, ordinabant. Tales illi, quos *Paulus, & Bar-  
nabas per varias civitates, e. c. Lystram, Iconium, Antiochiam ordi-  
nasse* memorantur, Presbyteri, proprio ordinationis ritui,  
quæq; in hoc singularior dabatur, manuum impositioni, *Χειρο-  
τονίας* vocabulo Act. 14, 23. Quin licet Apostolorum extraor-  
dinarium, & eminentissimum in Ecclesiâ nomen esset, unde il-  
lud, *πρωτων Αποστολων* 1. Cor. 12, 28. tamen iidem, Presbyteri,  
quod ex etymo quidem ætatis, ex usu autem officii, & potestatis  
quoq; erat, nomen non abnuebant, quomodo Petrus, Presbyte-  
ris Ecclesiarum *εσθλασπροα* Asiaticâ acclamans illud: *Pascite  
gregem DEI!* & illos vocat *επισκοπων* s. inspectioni gregis vacan-  
tes, & aded suarum Ecclesiarum Episcopos, & *εσμπρεσβυτερον*  
s. unâ cum illis Presbyterum. 1. Petr. 1. v. 1, c. 5. 1. 2. ut frustra exinde  
in dubium vocata, cum Auctore, auctoritas utriusq; posterioris Jo-  
hannis Epistolæ, quod Presbyteri vocabulo Auctor exprimat in  
inscriptione illarum, prout Theologi in titulo Apocalypseos, cum  
idem Johannes, Apostolus, Evangelista, Theologus, Presbyter, fuerit, nec  
aded alius Johannes Auctor Epistolæ 2. & 3. quàm primæ.

§. 22. Inde est, quod & Canonibus Synodi Apostolicæ,  
cui occasionem, materiamq; præbuit vexata tunc quæstio de cir-  
cumcisionis necessitate, ipsoq; decreto Synodico publicato, & per  
Ecclesias in orbe gentium distributo, *Apostolis* immediatè subjun-  
gantur *Presbyteri*. *Paulus, & Barnabas* ad concilium illud Hie-  
rosolymitanum profecti adscendisse memorantur ad *Apostolos*,  
& PRESBYTEROS Hierosolymam, & honorificè excepti ab *Apostolis*,  
& PRESBYTERIS Act. 15, 2. 4. & ubi jam ex sermone Synodico  
Jacobi formandus erat Canon, idemq; mittendus Antiochiam



per Paulum, & Barnabam, præmittitur illud: *visum est Apostolis, & PRESBYTERIS cum totâ Ecclesiâ* ibid. v. 22. & in inscriptione Epistolæ synodicae memorantur: *Apostoli, PRESBYTERI, & Fratres* v. 23. ac deinceps: *visum est Spiritui Sancto & nobis*, v. 28. Inde est, quod *Paulus & Silas, transeuntes per varias urbes, tradidisse Ecclesiis* memorantur, & commendasse τὰ δόγματα & τὰ κειμήλια i. dogmata decreta ab Apostolis, & PRESBYTERIS Act. 16, 4. Inde, quod *Paulo ingresso ad Jacobum, memorentur adfuisse omnes PRESBYTERI* Act. 21, 18. Ubiq; silentium de *Episcopis*, amplissimus autem sermo de PRESBYTERIS, quia sc. ætate Apostolicâ *Presbyteri* continebantur in *Episcopis*, & *Episcopi* in *Presbyteris*, qui tempore Apostolorum nullâ re discriminati, non ordine, non jurisdictione, nec *Episcopi* majores *Presbyteris*, nec hi superiores erant *Episcopis*.

§. 23. Inde, quod *Presbyteri Ephesini, & Cretenses* appellantur *Episcopi*, videatur de illis Act. 20. 17. 28. Illis sc. *Presbyteris* *Miletum* evocatis v. 17. acclamat *Paulus: Attendite VOBIS IPSIS, & universo GREGI, in quo vos Sanctus Spiritus posuit EPISCOPOS ad paciscendum Ecclesiam DEI, quam redemit proprio sanguine*, v. 28. Vid. de his, i. *Cretensium Presbyteris*, iisdemq; *Episcopis* Tit. 1. 5, 7. Inde, quod *Paulus*, cum in inscriptione Epistolæ ad *Philippenses* Philipp. c. 1, 1. tum in canonibus 1. Tim. 3. 2. 8. *Ordines Ecclesiasticos* distinguat in *EPISCOPOS, & Diaconos*, nusquam in *Episcopos, Presbyteros, & Diaconos*, quia sc. prout supra *Episcopi* continebantur in *Presbyteris*: ita hîc *Presbyteri* in *Episcopis*.

§. 24. Ita *Timotheus* dum ordinatus est *Presbyter* (cujus & *Episcopi* non tantum ætate Apostolicâ erat una ordinatio: sed & unus ordo, & ex hoc par agendi potestas) ordinatus est *Episcopus*. Ordinatus autem est à *Paulo Apostolo, & Presbyterio* (quod nomen nusquam in N. T. præcisè est officii, nec unius Individui; sed totius conventus, s. *Presbyteralis Collegii*, cum etiam officium non imponat ordinando manus; sed Collegium) & quidem sic, ut in illâ *Χρησθία* & *Paulus* imponeret *Timotheo* ordinando manus 2. Tim, 1, 6. & *Presbyterium* s. *Presbyterorum*  
præ-



præsens Paulo Collegium 1. Tim. 4, 14. Atq̄ve idem sic ordinatus Presbyter, vel Episcopus, ex extraordinariâ designatione Apostolicâ factus primus Ephesinorum Presbyter, s. primus Episcopus, unâ cum ceteris Ephesinis Presbyteris, iisdemq; Episcopis (conf. supra §. 23.) per communem *ἡγεσίαν* ordinavit alios *Episcopos, Presbyteros, & Diaconos* in Ephesinâ, 1. Tim. 3, 2. 8. c. 5. 22. prout Titus extraordinariâ delegatione, velut princeps Presbyter, s. Episcopus Cretensibus datus, unâ cum ceteris Presbyteris ordinavit Presbyteros, s. Episcopos oppidatim in Insulâ Cretâ, conf. Tit. 1, 5. & seq. ut adeò toti Presbyterio deberetur Ordinatio, ipso Theodoreto in 1. Tim. 4, 14. agnoscente, *ἡγεσίαν* jure divino Presbyteratui adnexam esse, non Episcopatui.

§. 25. Subordinatio tamen dabatur non quidem Presbyterorum sub Episcopis, velut superioribus (cum nec vocabulum *Episcopi Magistratus, imperii, vel potestatis*: sed *curationis, administrationis, & oneris* magis, quàm *honoris, officii, non, meriti*, s. ut Chrylostomus loquitur, *πρωϊός & ἡμῶν*, & illius, qui prodesse potius, quàm præesse velit nomen sit) sed Presbyterorum, eorundemq; Episcoporum sub aliis Presbyteris, æqvè ac Episcopis, habitâ ratione *Presbyteralis ætatis, primatus ordinis, & inde honoris, dignitatis*, qualis auctior erat in Presbytero, eodemq; Episcopo primo, quem tunc, sive ordinariè *πρωτοῦ ἡγεσίαν*, & adeò præventio temporis ordinationis, & ætas longior Presbyteralis designabat, sic ut uno decedente, proximus, vel, qui reliquos ordinationis tempore vincebat, succederet, sive aliquando meritorum, & dotium sanctiorum splendor, & ex hoc oblata sponte à ceteris Presbyteris *πρωτοκαθεδρία*, extraordinariè autem aliquando auctoritas Apostolica, per quam pro Ecclesiæ necessitate designabatur, non solâ Episcopali, vel Presbyterali: sed & extraordinariâ Apostolicâ dignitate fulgidus, idemq; omnibus, & singulis *ἡγούμενος*, s. ordinariis Ecclesiarum Presbyteris, & Episcopis prælatus, qualis in Ecclesiâ Ephesinâ *Timotheus*, in Cretâ *Titus*, in Damascenâ *Ananias*, in Alexandrinâ *Marius*, quorum superioritatem præ ceteris Ordinatis (e. c. Ephesinorum) Presbyteris, nemo



facile negaverit, qui ex lectione Actuum Apostolicorum meminerit, quanti Paulo, & Petro habiti fuerint Timotheus, Titus, Marcus, ipsorum Apostolorum in itinere comites, Legati à latere Apostolico, & sic ipsi quoque Apostoli, & Apostolorum strictè sic dictorum in Evangelio *συναγωγαί*, & cum illi, tum Ananias (Baptista, & Evangelista Pauli) Christo, conf. de Timotheo Act. 16. 3. c. 20. 4. Philip. 2. v. 19. 20. 22. 1 Thess. 3. 6. 1 Tim. 1. 2. 3. c. 3. 15. c. 5. 19. 2. Tim. 1. 2. c. 2. 2. c. 4. 1. 9. de Tito. 2. Cor. 8. 6. Ep. ad Tit. 1. 5. de Marco 2. Tim. 4. 11. 1. Pct. 5. 13. de Ananià Act. 9. 10. 15. 17. 19.

§. 26. Atque ad hanc aetatem pertinent, quæ de paritate Episcoporum, & Presbyterorum de jure divino, in celebri illà ad Evagrium Epistolà habet Hieronymus, & commentator antiquus in Epistolas Pauli (quem, Ambrosium, cujus nomine & à Papistis e. c. Bellarm. toties allegatur, & à Nostris in A. C. art. 6. non fuisse, utut in Ambrosianis illi commentarii extent tomis, jamdudum evictum est) in c. 4. Epistolæ ad Ephesios, & 1. Tim. c. 3. 8. Allegatur exemplum ordinati ætate Apostolicà à Presbyteris Timothei unà ordinatione sic factà Presbyteri, & Episcopi. Scilicet Timotheus ex illà Ordinatione erat Presbyter. Timotheus ex illà ordinatione erat Episcopus. E. Episcopus, & Presbyter idem sunt, etsi non omnis Presbyter est Presbyter primus, & sic nec Episcopus primus. Minorem probat, quia Timotheus ordinavit Episcopos: non ordinatur autem Major à minore; sed vel minor à Majore, vel æqualis ab æquali. Et adeò Timotheus ordinans Episcopos, ipse quoque fuit Episcopus, & illi Presbyteri ordinantes Timotheum Episcopum, ipsi quoque Episcopi, nec adeò negat Auctor antiquus, Episcopum posse ordinari à Presbytero: sed tantum, majorem à minore, ut inde probet, Presbyterum, cujus & Episcopi una sit Ordinatio, *ἡ μία ἐκείνη, ἐν ἁλίωπα*, non esse minorem. Extraordinarium enim est, quod Anton. Goveanus refert hist. orient. c. 2. 3. S. Thomæ Christianos post mactatum universum Clerum, uni, qui solus supermanserat, Diacono, omnia Episcopalia munera imposuisse, unde Richardus Fitzraus Armagan, Eccles. Archie-



Archiepiscopus, si, inquit, omnes Episcopi essent defuncti, Sacerdotes  
minores poterunt Episcopos ordinare l. 2. q. Arm. c. 7. & Gulielm.  
Antifiod. in 4. tr. 8. q. 1. Si non essent in mundo, nisi 3. simplices Sa-  
cerdotes, oporteret, ut unus consecraret alterum Episcopum, aliorum  
Archiepiscopum.

§. 27. Licet adeo in hac ipsa prima aetate daretur qua-  
dam subordinatio, eademque etiam ex instituto Apostolico, tamen  
nequaquam talis Archontica, quae sive Episcopatum a Presbyteratu,  
velut superiorem ab inferiore separaret, sive Presbyteros  
Ordinationis axiomate, & Episcopali nomine exauctoraret,  
atque sic dominatum Episcopalem (Apostolis aequè, ac Presbyte-  
ris interdictum Luc. 22. 25. 26. 1 Pet. 5. 3.) & potestatis, ac digni-  
tatis inaequalitatem inter Episcopum, & Presbyterum induce-  
ret, cum & illi una cum Paulo Ordinatiores Timothei dicantur  
Presbyteri, aequè ac Episcopi, & Timotheus apud Ephesinos fuerit  
Presbyter primus, & hoc respectu, quoque Episcopus, cujus erat,  
communicato cum Presbyteris Collegis Consilio, de doctrina, &  
vita non solum gregis: sed & ceterorum Presbyterorum, & Dia-  
conorum, & horum, si quae darentur, controversias cognoscere,  
dirimere, sententiam ferre, eandemque mediante verbo exsequi,  
quod quo moderamine faciendum fuerit, graviter Timotheum  
pariter, ac Titum, Juvenes Episcopos, Apostolus instruxit 1. Tim. 4.  
18. c. 4. 12. c. 5. 1. 19. Tit. c. 1. 5. 10. 11. 13.

§. 28. Quod de hac prima aetate diximus, usque adeo cer-  
tum, ut magnus pro disparitate Ordinum, Episcopalis, & Pres-  
byteralis, velut divinitus constituta, Zelota, bellatorque Petavius, in  
hoc ipso, quod in 2. libro de Episcoporum dignitate, & potestate adversus  
Salmasium tractavit, argumento, quasi receptum canens agnoverit,  
Presbyteros olim Episcopos fuisse, solo consensu hominum, & vitandi schi-  
smatis gratia, Unum e numero Episcoporum, eorundemque presbyterorum ele-  
ctum, qui praeset ceteris, Episcopalem quidem Ordinem jure divino introdu-  
ctum esse, non tamen eodem illo jure decretum, ut unus in singulis civitati-  
bus, & Ecclesiis esset Episcopus. sed hoc debere Ecclesiae auctoritati, & San-  
tionibus Synodis; ad quae adeo ab Adversario concessa exclamat  
Salmasius l. advers. Petavium, suum illud *quod vult*.

§. 29, Suc-



§. 29. Successit circa finem circiter seculi I. ætas secunda, quæ, etsi non mox, & ubiq; axioma Ordinationis, & characterem Episcopalem realem, tamen salvâ illius paritate, communionem *nominis* (Episcopi) à *Presbyteratu* separavit, & in Presbyterum primum, ex liberâ electione, & corpore Presbyterii, habitâ ratione meritorum eligendi, accumulativè, & ὑπεροχῶς contulit. Potuerunt initia hujus, quam sic vocat Hieronymus, consuetudinis, & illius, quæ Episcopalis nominis ἐξοχὴν consilio, consensuq; suo primò in Ecclesiam invexit, antiquitatis, ex intentione sanctorum pectorum, meliora sibi de eventu promittentium, & exeuntium ferè temporum Apostolicorum, sese pulcherrimè insinuare. Potuit auctoritas Apostolica, in Timotheo, & Tito extraordinaria, ad ordinariam deinceps talem ὑπεροχὴν inducere. Potuit quædam sacra necessitas, hæcenus ab Ordine, & instituto divino haud abludens, ad decoram pacis, & tranquillitatis Ecclesiasticæ conservationem, tale consilium requirere, vel suppeditare. Potuerunt, qui experti, quàm *Diaboli instinctu studia in religione*, ex schismaticâ Doctorum suorum admiratione, & ab his denominatione facta, Ecclesiam Corinthiorum turbârint, ad occupandum portum, & in tempore cautâ sollicitudine anteverendum, tale decretum edere.

§. 30. Scilicet de jure divino ex instituto Apostolico, *communi quidem Presbyterorum consilio gubernari debebant Ecclesiæ*: ceterum, non, ut, velut in Cyclopium Republicâ, Presbyterorum esset ἕδεις ἕδεις ἀκέρων, s. Presbyterorum unus suo iudicio confusus, vel suæ dignationis, & meritorum æstimator immodicus, Collegarum Presbyterorum iudicium despiceret, & ex æqualitate potestatis, & ordinis, sibi, velut qui solus saperet, omnimodam auctoritatem arrogaret; sed ut, prout *civitas Del pulcherrimè in se coagmentata* (Ps. 122. 2. 3.) ita & ubiq; Collegium Presbyterorum pulcherrimè ordinatum, & coagmentatum constaret, in quo, salvâ communionem Consilii in gubernandâ Ecclesiâ, ordine ageretur, & πρῶτον ἐπιτοίαν, donorum item, quæ magnus δωροδοκῆς uni præ altero contulerat, ratio haberetur; atq; sic, prout in Ecclesiâ: ita in tali Presbyterorum conventu fierent *omnia ordine, & decenter.*

§. 31.



§. 31. Igitur, ut ille Presbyterorum, & hos inter, primi, saluâ communionē potestatis, & ordinationis Presbyteralis, s. Episcopalis, pulcherrimus constaret, & ad posteros iret Concentricus, nec, vel in ipso casu decedentis primi Presbyteri, cui haec hactenus succedebat, qui annis Presbyteralibus major, & functo primo Presbytero proximus in ordine fuerat, successio turbaret, & vel hac occasione unus, vel alter Presbyterorum, per majores Auditorum numeros, & applausus, illos, quos baptizaverat, suos esse reputans, non Christi, ad se trahendo, Ecclesiam Christi rumperet, atque adeo in Schismatis remedium, decretum initio est, ut deinceps primatum talem, ipsumque sic accumulativè, & ἐξ ἑξῆς Episcopum, non Ordo, vel annosior aetas Presbyteralis constitueret; sed meritum, ipsumque suffragiorum jus, ex ipso corpore Presbyterali dignum eligendi, & ad ἀνωτατοῦ ἱεραρχίας, & praerogativam dignitatis, & tituli Episcopalis, sic tamen, ut per hanc collatam, Presbyterorum, velut Collegarum, Societatis, consiliorum cum his participationis, communisque regimini nequaquam pueret, evehendi.

§. 32. Atque prout de primâ aetate valebat illud Hieronymi in eadem Epistolâ: manifestissime comprobatur, eundem esse Episcopum, atque Presbyterum: ita de hac secundâ, quod ibidem mox additum: in toto Orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Atque hoc, quod postea unus electus est, qui ceteris praeponebatur, in schismatis remedium factum est. Ita in commentar. extantibus in Ambrosio in c. 4. Ephes. de primâ, ipsaque Timothei, & secundâ hac, sic loquitur Auctor vetustus: Timotheum a se creatum Presbyterum, Episcopum vocat, quia primum Presbyteri Episcopi appellabantur, ut recedente uno, sequens ei succederet. Sed quia coeperunt sequentes Presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Concilio, ut non Ordo: sed meritum crearet Episcopum, multorum Sacerdotum iudicio constitutum, ne indignus temerè usurparet, & esset multis scandalum, Vid. comm. in c. 4. ad Ephes.

§. 33. Licet autem alicubi citius, & vel seculo 2, investa  
C fue-



fuerit Presbyterorum à jure ordinandi exclusio, aded ut jam seculo 4. duo celeberrimi Patres, Hieronymus, & Chrysostomus, velut rem certam habuerint, ordinatione discretum ab Episcopo Presbyterum, sive, quod semper ita fuerit, sive quod post Apostolorum tempora demum, & propiori suae aetate, ex solâ consuetudine, vel ex solo Ecclesiastico, & humano jure, talis ordinationis exceptio obtinuerit, quod posterius voluit Hieronymus, non desunt tamen in ipsâ antiquitate, servatae Presbyteris, & adusq; seculum 3. imo 4. alicubi continuatae talis ordinationis, exempla.

§. 34. De Alexandrinâ Ecclesiâ omni aëvo celeberrimâ Hieronymus in laudata Epist. ad Evagrium: *Alexandriæ, inquit, à Marco Evangelistâ ad Heraclam usque, & Dionysium Episcopos PRESBYTERI semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum, EPISCOPUM nominabant, quomodo si exercitus Imperatorem, vel Diaconi de se, si quem industrium noverint, eligunt, & ARCHIDIACONUM vocant.* Plenius, & luculentius ad nostrum institutum causam hanc peroravit, historiamq; illam servati Presbyteris Alexandrinis ordinandi juris latius, & adusq; seculum quartum, & Alexandrum Alexandrinum deduxit Eutychius Patriarcha Alexandrinus A. D. 940. d. 12. Maij denatus, in libro de originibus Alexandriæ. Summa est: instituisse Marcum Evangelistam XII Presbyteros, qui manerent cum Aniano Episcopo. & hoc moriente, eligerent unum ex suo numero, s. XII. illis Presbyteris, cujus capiti reliqui XI manus imponerent, & sic mediante benedictione (consecratione,) Episcopum (quem in sede Alexandrinâ deinceps Patriarcham appellarunt) crearent. Pergit idem: constituit quoq; Marcus, ut XI illi reliqui Presbyteri virum aliquem insignem eligerent, eumq; Presbyterum secum constituerent loco ejus, qui ex XII Presbyteris factus erat Patriarcha (Episcopus) atq; ita semper extarent XII Presbyteri.

§. 35. Notamus ad illustrem hanc duorum testium historiam sequentia: I. Marcum illum, primum Alexandrinorum Episcopum fuisse, hinc tacet Hieronymus, Evangelistam nominans, non Episcopum, prout Heraclam, & Dionysium Episcopos. Eutychius quoq; primum Alexandrinorum Episcopum Anianum nominat, non Marcum. Patriarcham autem vocat, quia Episcopus Alexandrinus



drinus seculis sequentibus erectus est in Patriarcham, Romano proximum, & sic secundum, antequam Constantinopolitanus eveheretur, s. inter Romanum, & Alexandrinum interponeretur, quod factum in generali Ephesino, & aequalia cum Romano privilegia obtineret, quod factum in Chalcedonensi, s. quarto generali Concilio, quo utroq; nomine duo illa ex IV. secundum excellentiam Oecumenicis Conciliis torvo oculo intuitus Bellarminus, & ut appareat, illos, ubi quid adversum sibi legunt, non solum non Patribus (vid. sup. §. 16, 17.) sed nec Conciliis Oecumenicis secundum excellentiam talibus, parcere, gravissimè perstrinxit in præfat. lib. de Rom. Pontif. sibi ipsi tamen contrarius, dum, quod l. alleg. imputat duobus illis Conciliis Oecumenicis, & sic seculo V. alibi l. 2. de R. P. c. 18. imputat Concilio generali VI. editoq; Canonis Trullano 36. & sic exeunti seculo septimo.

§. 36. Notamus II. ab obitu Marci adusq; obitum Dionysii Alexandrini, 200. ad minimum intercesserunt anni; sic ut perveniatur ad Ann. 265, quo, obeunti Dionysio successit in eadē cathedrâ Episcopali Alexandrinâ Maximus. Atq; hoc intervallo sederunt Alexandria, Episcopi Anianus A. C. 85. Abilius ad A. C. 98. Cerdo ad A. C. 109. Primus ad A. 120. Justus adusq; annum 131. Eumenes adusq; 143. Marcus ad A. 151. Celadon ad A. 165. Agrippa ad A. 180. Julianus ad A. 190. Demetrius ad A. 234. Heraclas adusq; A. 248. Dionysius, adusq; annum Christi 265.

§. 37. Notamus III. Eutychem plus ultra, nomina illorū Presbyterorum Alexandrinorum ordinantium, expressisse, nec contentum Heraclâ, & Dionysio, in quibus desit Hieronymus, deduxisse per Maximum A. 265. Theonam A. 285. Petrum A. 300. Achillam A. 310 Alexandrum A. 311. qui, cum Concilio primo Oecumenico Nicæno adversus Arium (quem recenter ab Achillâ Diaconū ordinatum, hic Alexander, magno suo, & Ecclesiæ malo, ex Diacono, supra Athanasium Archidiaconum evexerat in Archipresbyterum) celebrato, & quidem præsens interfuerit unâ cū Athanasio, tunc nondum Episcopo: sed Archidiacono Alexandrino, si quidem Petavii, & Baronii sibi constet rationariū (quo Synodo illi primæ, & celeberrimæ Nicænæ annus assignatur 325.) adusq; annum



328. etatem perduxerit, si autem aliorum calculus attendendus (quem præfert Bellarminus l. de conciliis, quo assignatur concilio tempus ab A. D. 327. ad A. D. 330. ) adusq; annum 332. quando eidem Alexandro, ex illâ lege novellâ etiam extra Presbyterorum Collegium Episcopum eligendi, successerit *Athanasius*, Episcopo (ex Archidiacono factus) Episcopus.

§. 38. Notamus IV. Totum illud, quod taato, 250. circiter annorum, intervallo, circa tot, ac tantos, & vel 17. Alexandrinos, eisdemq; *primæ in Africâ sedis*, factæ paulò post Patriarchalis, cui jam ante Nicanam Synodum *ἐμονομήνη* in universam Ægyptum, Lybiam, & Pentapolin legitimata constat ex Canone VI. Concilii Nicani, quæq; jam tempore Heraclæ XX. Episcopales sedes sibi subjectas habebat, atq; adeò Archiepiscopos, peractum, ut sc. ex illo *Dodecapresbyterio*, & ab ipsis Presbyteris *unus EPISCOPUS in locum defuncti eligeretur, & consecraretur, vel ordinaretur*, illud axioma non solum de jure; sed etiam de facto tribuere Presbyteris, quod sive (juxta *Hieronymum*) post *Dionysium Alexandrinum*, seu (juxta *Eutychium*) post *Alexandrum Alexandrinum* iisdem denegatû, ut sic quod post illa tempora illis servatum, hic non intelligatur. Illud autem est, illa, quæ in *Alexandrinâ multarum Matris*, Ecclesiâ, etiam posito jam dudum, Uniq; concesso, EPISCOPI nomine, remansit salva, quâ rem ipsam, *Presbyteralis, & Episcopalis equalitas, & Ordinandi potestas*, ut & presbyteri, & ex suo *Presbyterorum corpore*, Episcopum (velut hujus Electores, Ordinatores, & *ἐπιπορευταί*) collocarent, ita ut quomodo in militia Romanâ, quem universus Exercitus, & Tribunorum, ac Ducum conspirans suffragium, elegerat, & principem belli Ducem (Imperatorem, l. Generalissimum, quem vocant) salutaverat, ei nihil ad talem potestatem in castris deesse credebatur, nec quicquam illi, quem universum Collegium Diaconorum ex suo corpore designaverat Archidiaconum: ita in quem Presbyterium Alexandrinum laici suffragiis contulerat, quem collocaverat, Episcopum nominaverat, pleno jure Episcopatus gavisus, imò Episcopus reverà peculiariter fuerit & dici meritò potuerit.

§. 39. Notamus (V.) Etsi per argumentum à minori ad majus





majus fortissimè infertur à jure ordinandi Episcopum, imo ( mul-  
 torum ) Episcoporum Episcopum, ad jus ordinandi Presbyterum, ne ta-  
 men quis excipiat, Ordinationem illam, quã discernebatur Episcopus  
 à Presbytero non adeò strictè, novam, peculiaremq; ordinationem esse, nec  
 majus discrimen facere, quàm illam, quæ hve impositum Episco-  
 po Metropolitanum discrevit ab Episcopo, vel Patriarcham à Metro-  
 politano, quæ omnia sint ex jure humano consuetudinario Eccle-  
 siastico: cum Ordinatio Presbyterorum sit ex jure divino, etiam hoc  
 peculiariter ab Eutychio memoratum, quod se illi Duodecim viri  
 Presbyteri, in locum Episcopi ex Presbytero facti, successorem si-  
 mul elegerint, & instituerint alium Presbyterum, ut ita ( ex con-  
 stitutione Marci ) in Alexandrinâ integrum constaret Δωδεκα-  
 πρεσβυτεριον, & hoc adeò, ut ut titulo Episcopi in unum collato,  
 amplissimâ tamen Presbyterali usum, in locum defuncti Episcopi ex suo  
 corpore, Episcopum, in locum evedti ad ἱεροσολωνῶν illam Presbyteri, Pres-  
 byterum suffecisse, eidem benedixisse, & manus imposuisse, idq; non ex  
 delegatione, vel superioris concessione: sed pleno Presbyterali ju-  
 re, ipsumq; adeò Episcopum, in Collegio presbyterorum quidem  
 honorabilem suam προεδριαν, & potestatem Ecclesiasticam, qualis  
 præfidis, vel directoris est, habuisse: ἡγεμονίας; autem s. ordinationis  
 jus exclusivè resp. presbyterii nec habuisse, nec exeruisse sed com-  
 muni adhuc consilio presbyterorum & hinc egisse, & Ecclesiam  
 gubernasse.

§. 40. Notamus (VI.) Illud ab Eutychio de abolitione  
 hujus moris apud Alexandrinos his verbis memoratum: Ale-  
 xander vetuit, ne deinceps patriarcham ( Episcopum ) Alexandrinum  
 presbyteri crearent: sed Episcopi: ac decreto publico sanxit, ut mortuo  
 deinceps patriarchâ ( Episcopo ) Alexandrino, Episcopi convenirent,  
 & liberè ex quo: unq; ordine s. Presbyterorum s. Diaconorum s. qua-  
 cunq; regione, vacante Episcopatu, Successorem Patriarcham ( E-  
 piscopum ) deigerent. Potuit tantæ deminutionis totius pres-  
 byterii Alexandrini, & ut deinceps nec ordinaret, nec, post Alexan-  
 drin, ex illo exclusivè ordinaretur Successor, causam præbere unus  
 Arius, ψευδωνύμῳ γινώσκῃ; magis, quàm veræ Theologiæ peritus,





cui præ tot Diaconis festinatus, nimium ab Alexandro presbyteratus, & in presbyteris Alexandrinis primatus, ac ex hoc firmatus innovandi turbandiq; in re religionis conatus est. Potuit nihilominus illa exauctoratio presbyterorum, & libera eligendi futurum, in primâ sede Episcopum, etiam ex ordine Diaconorum, Ecclesiæ felix & fausta esse, electo primò omnium per Episcopos alios Ægypti diocesanos futuro Episcopo s. Metropolitanò Athanasio, inter Diaconos hætenus Alexandrinos post Ammonium, Macarium, Pistum ordine quarto, etsi huic per omnem vitam deinceps non defuit varia exagitatio, & immanis persecutio. Potuit etiam tunc occasio dari *Canon* illi *Nicano*, ut non solum antiquus jam tunc *judicatus mos*, omnium sc. in Ægypto, Lybiâ, & Pentapoli potestas, firmaretur Alexandrino, prout *urbis* Roma, & suburbicanorum omnium, Romano, vid. *Can. 6.* sed etiam ut Episcopus non à Presbyteris: sed ab omnibus, qui in Provincia sint, per *χρησολύια* constituatur Episcopus, vel in casu necessitatis, à tribus, ceteris absentibus consentientibus, & per litteras approbantibus, confirmatione reservatâ Metropolitanò, vid. *ibid. Can. 4.* & ad hunc respexit locus ex Ambros. supra allegatus. §. 32.

§. 41. Succedit ad eò *etas tertia*, de quâ vel maximè pronuntiata, & intellecta videbatur illa Hieronymi sententia: *Quid facit, exceptâ ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat, & pro hac, ne quis objiciat Romanum, & insigniores ejus præ presbyteris prærogativas, occupandæ statim addat: si auctoritas quæritur, orbis major est urbe. Ubiq; fuerit Episcopus sive Roma, sive Constantinopoli s. Hierosolymis &c. ejusdem est meriti, ejusdem Sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas superiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Omnes Apostolorum successores sunt. Ita ergo non saltem Episcopi nomen: sed & ORDINATIO separata est à Presbyteratu velut minori, & arrogata, exclusivè, Episcopati vel Episcopo, velut majori, neq; verò ex posteriori fluxit prius: sed ex priore posterius. Posito sc. jam uno *καθ' ἑνὸς* Episcopo, & Ordine diviso (ut alius esset presbyteralis, alius Episcopalis) ORDINATIO cessit honoratiori, & majori, & sic adempta presbyterali, cessit soli Episcopali, ne sc. ordinaretur major à minore,*



minore, vel æqualis ab æquali, sc. Episcopus, vel presbyter à presbytero: sed minor à majore, s. Diaconus æquè ac presbyter ab Episcopo. Totum autem illud, quæq; hac ratione Hierarchia Episcopali strata via est, non ex jure divino; sed merè humano Ecclesiastico Canonico: sc. quo jure, quave auctoritate Episcopus unus est prælatus presbyteris, eodem (in aliis Ecclesiis, citatis, in Alexandrinâ seriùs) ORDINATIO quoq; adempta est presbyteris, & arrogata Episcopis, ac ne ab his ad illos facilè rediret, sollicitè, magnaq; cautione provisum.

§. 42. Inde est, quod Scriptoribus quibusdam antiquis agnatum, *Ordinationem, quæ suâ ætate fuerit in Ecclesiâ, non per omnia convenire scriptis, & temporibus Apostoli* (vid. Ambrosius, vel Auctor antiquus comm. in Epist. Pauli ad c. 4. Epist. ad Ephel.) *divisionem illam ut alii essent Episcopi, alii Presbyteri, nec hi ordinarent; sed illi, factam πρὸ βαπτισμοῦ τῶν χριστιανῶν, s. procedente tempore* (Epiphanius cont. Hæriū) *ac magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate* (Hieron. Comm. in Epist. ad Titum) ut tamen immanem illam Monarchiam Episcopalem, & distantiam à presbyteris non agnoverint, nec discrimen, nisi solius Ordinationis, unde superius illud Hieronymi, *Exceptâ ordinatione nihil facere Episcopum quod Presbyter non faciat, quomodo & Chrysostomus solâ ordinatione discernit Episcopum à Presbytero, professus, ὅτι πλὴν τῶ μέσων; s. parum inter Episcopum, & Presbyterum interesse, sc. μόνην χειροτονίαν, s. solam Ordinationem per manuum impositionem, & consecrationem* vid. Chryl. in c. 31. ad Timoth. & Theophylactum ibidem.

§. 43. Licet autem jam tunc, & vel 200. annis ante Hieronymum, etiam præter Ordinationem multa faceret Episcopus, quæ presbyter sive non faceret, sive absente Episcopo, & ex hujus saltem delegatione, vel commissione faceret (e. c. *circa publicam pœnitentiam, & reconciliationem, Virginum, vel templorum* (quodq; consecrationem, chrismatis consecutionem) quomodo *consecutio chrismatis, & chrismatio, s. confirmatio baptizatorum, initio presbyteris communis, jam tunc tempore Hieronymi, & ultra, facta erat axioma Episcoporum, sic ut, nisi absente Episcopo, non confirmarent, vel, prout loquuntur veteres, consignarent, sive baptizatos chrismate*  
signa



signarent presbyteri (conf. apud Ambros. com. in Epist. Pauli, Concil. Tolet. 1. Can. 20. Gregor. dist. 95, cap. *peruenit*) tamen quia in illis, pro varietate locorum, aliter habebat in aliis quibusdam orbis terrarum partibus, *compantivè* intelligendi *Hieronymus*, & *Chrysostrmus*. Sc. etsi post divisum Ordinem, & ordinationem, ut alia esset Episcopi, alia presbyteri, missumq; illum morem antiquum, *ex ipso Presbyterii corpore eligendi Episcopum* (quippe quem jam non ex presbyterorum saltem: sed & Diaconorum ordine, imo, extra Clerum ex Laicis legere licebat) pro varietate regionum etiam alia antea presbyteralia, vel presbyteris cum Episcopis communia, ab illis ad hos transiverant, & sic Episcopis accumulata erant, nihil tamen axiomatis presbyteralis, sive citius, sive latius, per plures terrarum regiones, presbyteris ademptum, & Episcopis tenacius arrogatum, vindicatumq; quam *jus ordinandi Episcopos, Presbyteros, Diaconos*, sic ut, hac una *Ordinatione excepta*, cetero qui, vix quicquam *faceret Episcopus, quod presbyter non faceret*.

§. 44. Et tamen, ne in hac quidem ætate tertia, quæ in *septimum* excurrit *seculum*, desunt planè, activæ presbyteralis Ordinationis exempla, ut sic, ne *excepta quidem ordinatione*, id faceret presbyter, quod Episcopus, neq; sic tanto intervallo judicaret à se distare presbyterum, quantum sequior deinceps invexit ætas. Sanè Martinus Turonensis (si fides historiæ, in qua, allegato *Sulpitio*, sese Pontificii pro Episcopali eminentiâ probandâ, cui tamen hodiè vix quicquam axiomatis per superiores Episcopis ordines, ipsosq; Cardinales relinquitur, mirificè efferunt, vid. Bellar. lib. 1. de R. P. cap. 7.) plus honoris detulit suo presbytero, quam *Cæsari Maximo*, neq; saltem in casu necessitatis presbyteri ordinârunt, prout in intervallo *inter Eustathium Antiochenum, & Paulinum, sec. 4.* & eodem seculo declinante, Arianismo prædominante, orthodoxis Episcopis à Valente relegatis *per presbyteros Ecclesia gubernata*, perq; *Flavianum, & Diodorum* presbyteros, in viduatis Ecclesiis, etiam *Episcoporum Ordinatione* peracta, ipsis populis *Filium ἐπιούσιον* professis, eodem persecutionis tempore sibi ipsis, mediante presbyterio (neq; enim *Zachæi*, qui à nemine ordina-

dina-



ordinatione susceptâ, prorsus, *ὡς καὶ Ἰωάννης* Episcopatū affectavit, sibi i-  
psi sacerdos, exemplum probatum ) constituentibus Episcopos,  
quomodo Episcopis sive deficientibus, sic, ut aliunde haberi non pos-  
sint, vel ad idololatriam à vero DEI cultu prolabantibus, orthodoxos  
Presbyteros ex suo corpore posse ordinare Episcopum, imo in tali  
casu universam gubernationis Episcopalis auctoritatem devolvi  
ad ipsos, & orthodoxos Presbyteros, ut hi liquidò possint ordinare  
alios presbyteros, agnitum Hadr. Sarav. de divers. grad. cap.  
2. allegante Blondello. Vid. de his præter supra notata §. 26. Epi-  
phan: hæres. 73, cap. 28. Thom. Mortonus, qui apertè, ubi, in-  
quit, *Episcopi in lupos degenerant, ibi Presbyteri antiquum suum  
jus repetant*; Conf. quoq; Auctor q. V. & N. T. Confessor, etiam,  
post jus ordinandi, à Presbyteratu ad Episcopos translatum, his ab-  
sentibus, vel defunctis, à Presbyteris ordinator Presbyteros.

§. 45. Neq; verò Ordinationes presbyterorum in Canoni-  
bus simpliciter improbatæ, quod Presbyterales essent; sed quod cete-  
roqui vitio quodam sæpe laborarent. Ita improbata Cypriano  
Novatiani ordinatio, quod illegitimè in schismate, & modo inso-  
lito peracta vid. Cypr. Ep. 41. 52. Ita non ob ordinationem, à Presby-  
tero, prærogativam tunc Episcopalem contra canones sibi su-  
mente, & usurpante sec. 4. in Synodo diocæs. Alex. depositus est  
Ischyras; sed quod in Schismate & à Meletiano Episcopo constitutus,  
& ordinatus. Eadem ferè ratio Apollinaris Laodiceni, sec. 4. per  
Presbyteros constituti in factione, etsi non irritâ prorsus Ordi-  
natione, neq; enim omnes ordinationes improbatæ, propte-  
reâ sunt retractatæ, vid. Blondellus in Apol. Hier. Cp. 356. onf.  
quoque exemplum à Presbytero Novato sec. 3. ordinati Felicissi-  
mi Carthaginensis Diaconi, cuius Ordinatio, licet quod ab uno solo  
Presbytero, sine Episcopi Cypriani consensu, sine totius Presbyterii  
vel Cleri consilio, decretovè facta, vitio non caruerit, non retra-  
ctata tamen, sed rata habita fuit, nec sive Ordinator, sive ordina-  
tus ullas eo nomine penas luit, vid. Cypr. Ep. 49. Sed & Go-  
thici Presbyteri superiorem sibi met præfecerunt Episcopum Me-  
tropolitanum Theophilum, qui Nicæno interfuit, nullam eo nomine  
dignitatis deminutionem passus, quod à Presbyteris esset ordina-

D

tus,



tus, qui cum potuerint ordinare superiorem, multo magis Presbyterum singulis æqualem. Ita medio seculo V. Leo M. in rescripto ad Narbonensem Episcopum Rusticum, Presbyteri, qui Episcopum mentitus, ordinaverat Episcopos, & Presbyteros, ordinationem, si facta sit cum consensu, & iudicio presidentium, ratam habendam pronuntiat, sic ut ordinati perseverent in Ecclesia. Atque si Presbyteri ordinatio juri divino adverfetur, nullo unquam calu talis ordinatio rata esse poterat, aut talis haberi debebat.

S. 46. Quia etiam post Ordinationem à Presbyteratu ad Episcopatum planè translata, vestigiū quoddam prisce, primitivique juris in Ordinatione ostendebant Presbyteri, ut uno Episcopo consecrante, sive benedicente, Presbyteri presentes manus imponerent super caput ordinandi, unde Syn. 4. Carthag. can. 3. Secretum: Presbyter cum ordinatur, omnes Presbyteri, qui adsunt, manus suas juxta manus Episcopi, supra caput Ordinandi ponant, sociā hac manus impositione unā cum Episcopo testaturi, se quoque ad Ordinandorum consecrationem, & cooptationem, ex veteri jure aliquid adhuc obtinere, & conferre, ut adeo etiam tunc, cum in constitutionibus suis Pseudo-Clemens scriberet: *ὅτι ἡμεῖς οὐκ ἐπιτρέψομεν τοῖς πρεσβυτέροις διακονῆσαι, ἀλλὰ μόνον τοῖς ἐπίσκοποις*, i. e. non permitimus Presbyteris ordinare Diaconos; sed solis Episcopis, & illos, Apostolicorum supposito nomine, canones extruderet, e. c. Episcopum à 2. aut 3. Episcopis, Presbyterum, Diaconum, & reliquos inferiores Clericos ab uno (vid. can. 1. 2. 40.) ordinandos esse, & jam Episcopis assignata esset insignis illa super Presbyteros *ὡς ἐξ ἑ*, ut Clericorum quorumcunque Ordinationi ipsi præessent, illorum tamen nemo quicquam sibi sine Presbyterio facile arrogare, vel se solum in subdito grege ordinationum potentem antiquioribus illis temporibus asserere ausus fuerit; & Presbyterorum ordinatio ab Episcopo quidem peracta fuerit, non tamen suo duntaxat nomine: sed & delegatā totius Presbyterii auctoritate. Scilicet Episcopus unus sine Coepiscoporum concursu poterat quidem sive unum, sive plures Presbyteros constituere: at non poterat sine Presbyterio unum Diaconum, nedum unum Presbyterum ordinare, & quisquis Episcopum solum, absque Presbyterio, Ordinationis Dominum esse, vel fuisse, vi canonum asserit, horum non Interpretes; sed corruptor,





ruptor, & interversor fuerit, vid. Synod. Carthag. A. D. 398. cap. 2. Gabriel Albaspineus notis in Canones.

§. 47. Ceterum plus ultra itum est in *atatem quartam*, quam Monarchiæ, vel Hierarchiæ, & sacre cujusdam tyrannidis Episcopalis nomine jam supra designatam, inde à sec. 7. corruptior, & pejor Avis ætas invexit, ex quo non solum *Ordinatio*: sed omnes ferè Ecclesiasticæ jurisdictionis partes Presbyteris ademptæ, Episcopis sic factæ sunt propriæ, ut nihil illorum, *qua faceret Episcopus* ex jure sive peculiari, sive communi, *faceret Presbyter*: sed huic sacrorum illorum s. penitus denegata omnia, sive à præcepto, vel concessione aliquando absentis Episcopi fuerint suspensa, etsi in illis plurima dentur, quæ *ad honorem Sacerdotii, potius quàm Legis necessitatem pertinuisse*, rectè suâ ætate agnovit Hieronymus adv. Lucifer.

§. 48. Testis vel unus Canon Concilii Hispalensis 2. (circa A. C. 620. celebrati) ubi can. 7. inter absolute prohibita Presbyteris, non solum *Ordinatio s. Presbyterorum, Diaconorum, & Virginum consecratio ponitur*: sed *& altarium constitutio, Ecclesiastica benedictio, per unctioem, & benedictionem, templorum, & altarium consecratio, baptizatorum confirmatio*, ac præter solitam *chrismatis consecrationem, baptizatorum in fronte signatio, publica in missâ, penitentis reconciliatio, formatarum Epistolarum missio*, solis Episcopis, ut discretio gradus, & dignitatis fastigium illis consolidaretur, reservata, Presbyteris omnibus præclusa: prout *presente Episcopo* prohibetur Presbyteris *introire in baptisterium, tingere infantem, aut signare, Sacramentum sanguinis, & corporis Christi conficere, populum docere, eidem benedicere, aut salutare plebem, vel exhortari, penitentem reconciliare*. Hæc sc. Presbyteris à sede Apostolicâ dicuntur prohibita. Quo autem jure? Hic verò asseritur partim *veteris Legis auctoritas* (e. c. *solus Aaron poterat ibi altare erigere, & unctioem consecrare. E. & consecratio templorum, altarium &c. reservanda solis Episcopis, qui se habent ad Presbyteros, prout Aaron ad Filios*) partim, & rectius, *novellarum, & Ecclesiasticarum regularum dignitas*.

§. 49. Et illa quidem *veteris Legis auctoritas applicata*

D 2

apertè



Apertè judaizat, & à sacrario Materiali Levitico, & Hierarchiâ Sa-  
cerdotali, qualis erat in V. T. ad novum, similemve in hoc cul-  
tum, sacerdotalem ordinem, templa, altaria inferendo, abne-  
gato corpore, quod Christi est, ejusq; Testatoris, quâ Novum à Ve-  
teri Testamentum discernitur, morte, *umbram Leviticam* reducit  
Coloss. 2. 16. 17. Hebr. cap. 9. 11. 12. 13. 15. 23. G. 10. 2. illud autem,  
quod *novellis Ecclesiasticis regulis*, & instituto sic merè humano soli q;  
Canonum posteriorum auctoritati debeat, illa *Presbyteralium*  
*antè communionem ad solos in Pontificali culmine constitutos Episcopos*  
*translatio*, rectillimè agnoscitur in hoc *septimo Hispanensi Canone*, quò  
Presbyteros in universum ferit, prout ibidem quintus Canon pe-  
culiariter *Egrabensem presbyterum*, qui cum tribus ordinandis, unò  
ad presbyteratum, duobus ad Diaconatum, consecrationem, s. benedictio-  
nem dedisset (quibus Episcopus oculorum dolore detentus saltem manus  
imposuerat) & paulò post diem obiisset, si adhuc mortalis supervi-  
xisset, propter tantam *ambiciam accusari damnariq;* potuisse agnosci-  
tur, prout post mortem, ubi humano iudicio accusari non poterat, divino ex-  
amini relinquitur, tres autem illi, velut *malè ordinati*, ex auctoritan-  
tiae gradu presbyteratus, vel Diaconatus, ejusdemq; velut quem perversè  
adepti sint, amissione puniuntur. Asperimè sanè (cum cetero quò  
sit triste rigor nimius) ac si divini juris violati reus fuisset, bonus  
ille Presbyter, & ab hoc Ordinati, tractantur in Canone (de quo  
etiam vid. Gratian. dist. 23. c. 13.) cum, si quid exorbitationis actis  
intercessit, in *novellas saltem*, & recens *invectas regulas peccatum* fue-  
rit. Sed ita scire illos hypocritas oportebat pro *placitis novellis*  
*humanis*, pro quibus *ἐπιὲς λίαν* Zelotæ, qui irritum fecerant manda-  
tum DEI, & institutum Apostolicum per traditionem suam, frustra Deum  
volunt docendo doctrinas hominum. Conf. Matth. 15. 3. 4. 5. 6. 7.  
S. 50. Equidem *Presbyterorum Ordinationes irritas*, sine ex-  
ceptione pronuntiavit Bellarminus, & inde inferit, non fuisse de  
jure divino validas. Sc. si de jure divino validæ, non fuissent irritæ. Sed  
fuerunt irritæ. E. non de jure divino validæ. Ceterum aut u-  
tròbiq; prædicatum intelligendum de jure, & sic concessa Majori  
negatur Minor (neq; enim Presbyterorum Ordinatio unquam  
de jure divino irrita, nec adeò pro tali habenda fuit) aut de facto,  
& sic



& sic concessa minore negatur Major. Negatur, id quod de jure divino validum, non potuisse aliquando iudicio humano haberi irritum (conf. Matth. 15. 3. 5.) & contra, quod sic aliquando habetur irritum, jure divino esse invalidum, & in se fuisse irritum. Ita communis Infantum Eucharistia, æq; ac Pædobaptismus ex malè comparato, vel intellecto loco Joh. 6. 53. cum Joh. 3. 5. per 4. olim secula fuit habita valida, quæ tamen jure divino non valida, & nunc quoq; ab ipsis Tridentinis habetur, & sub anathemate prohibetur, velut irrita, conf. sess. 21. cap. 4. can. 4. & contra, *communio omnium sine exceptione communicantium sub utraq;* jure divino valida, Constantiensi, & Tridentino decreto censetur irrita, vid. Constant. sess. 13. & Trident. sess. 21. can. 1. & 2. Aut major Syllogismi loquitur de jure, minor de facto, & sic apertè quatuor termini sunt in Syllogismo.

§. 51. Signanter diximus, *Ordinationes Presbyterorum non saltem in se, & de jure nunquam fuisse irritas: sed & ne de facto quidem semper, & universaliter: sed aliquando saltem, & apud quosdam habitas fuisse irritas*, quod abunde supra remonstratum jam est. Quis enim Pontifex, quæ Synodus unquam pronunciavit, non ritè electos, & ordinatos illos Episcopos, & Presbyteros Alexandrinos, quos longo ordine ad Dionysium, & Alexandrum usq; supra deduximus? conf. quoq; Blondell. in Apok. p. 375. ubi evictum dedit, *Presbyteros olim per Ægyptum, Africam, Orientem, Gallias, Britannias, Ordinationum potestate usos esse, & illas sic factas, Ecclesie irritas habitas haud esse*, imò Beda ipse, clarissimè testatus, *Presbyteros in Pictorum, & Scotorum regnâ per annos plus minus 200. ordinationum compotes fuisse*. Neq; enim per allegatam auctoritatem, sive Pontificalem Damasi, & Gregor. III. sive unius, vel alterius *Canonis Synodici*, probatur, sive *in se irritas esse*, sive *semper irritas habitas esse ordinationes Presbyterorum: sed saltem aliquando, jure merè Ecclesiastico humano*, unde non sequitur, *nunc quoq; irritas habendas esse*. Et militat tamen illud quoque pro causa præsentis. Si enim Canone Hispal. sec. 7. vel decreto Greg. III. sec. 8. *Ordinationes Presbyterorum judicatae sunt irritæ*, sic, ut his canonibus ordinandi potestas illis sit adempta,

D 3

Ergo





Ergo ante novellas illas regulas, vel Canones, illam habuerunt,  
& antea actu quoque, & jure usurparunt.

§. 52. Ita veteri jure Ecclesiastico, in jure divino fundato  
( prout prolixè allegatis locis Num. 20, 25. 27. 29. Hof. 8, 4. Act.  
1. 15. c. 6. 2. 3. deducit, & inde *canalem traditionis divinae*, & Aposto-  
licæ, in sua tempora educit Cyprianus epist. 68. ) non habebatur  
ordinatio justa, & legitima, quæ non omnium *judicio, & suffragio*  
*fuerat examinata, sub populi assistentis conscientia facta.* Unde &  
Ordinatio ( prout factum à Cypriano ordinaturo Numidicum,  
vid. Cypr. epist. 35. ) intimabatur Presbyteris, Diaconis, & toti  
plebi, & prout dicitur in ordinatione Primitivi, quem Cypria-  
nus Episcopus Compresbyterum suum vocat, & Cornelii Roma-  
ni, ordinatio fiebat Collegarum, atq; plebis testimonio, & judi-  
cio vid. ep. 41. & 52. Contrà Synodus Tridentina sess. 23. cap.  
4. & can. 7. in ordinationibus, *nec populi, nec cujusvis secularis po-*  
*testatis, & Magistratus consensum requirendum* asserit, quin eos, qui  
*tantummodo à populo, aut seculari potestate, ac Magistratu vocati, &*  
*instituti, ab Episcopo, ex propria huic, & cum Presbyteris non commu-*  
*ni potestate, non ordinati, ad sacra ministeria descendunt, fures, & latro-*  
*nes proclamat, anathema denuncians asserenti, Ordinationes il-*  
*las esse irritas, quæ fiant sine populi, vel potestatis secularis consensu.*  
Ita ordinationes sine titulo, & certâ Ecclesiâ curandâ, item extra  
suos catus, ordinationes Episcoporum per *pauciores tribus,*  
& *Metropolitano* olim erant irritæ. conf. Cypr. locis alleg. Can. 6.  
concil. Chalced. cod. can. univers. Eccles. can. 184. quarum nul-  
lam tamen irritam hodiè pronunciant Romanenses syn. Trid. sess.  
23. can. 8. Ita olim *nulle Pontificum ordinationes habebantur rate, nisi*  
*consensu Imperatorum firmate.* Hodiè contra. Ita olim obtinebat  
penitentia solemnibus publica, & in hac *quinq; illi gradus,* à quo ri-  
gore jamdudum recessit Ecclesia. Ita olim Pontifex adorabat  
*Imperatorem,* prout Leo III. Carolum, & Lud. Pium. Hodiè  
contrà. Ita Cyprianus, & ceteri Episcopi Africani scribentes  
ad Romanos Pontifices, hos appellârunt *Fratres,* e. c. Cyprianus  
*Stephano Fratri salutem* ep. 72. & in fine: *Hæc ad conscientiam tuam,*  
*Frater charissime, & pro honore communi pertulimus, nec hac in re nos*  
*cujus-*



ejusquam conscientie vim facimus, aut legem damus, cum habeat in Ecclesie administratione voluntatis suae arbitrium liberum UNUSQVISQVE PRÆPOSITUS. Ecquis autem Episcoporum hodiè sic scribere audeat ad Pontificem Romanum?

§. 53. Ita pro solo Episcopo, Sacramenti, quod vocant, ordinationis ministro allegatur ab altera parte Canon 13. Concilii Ancyran, celebrati A. C. 314. & adeò Nicæno anterioris. Ceterum cum latina Canonis ibi varia detur lectio, nihil tamen inde contra ordinationem Presbyterorum, pro hac autem plurimum. Sive enim sic legatur, prout habetur in veteri collatione Canonum MS. incerti Auctoris: *Sed nec Presbyteris civitatis (licet) sine Episcopi præcepto amplius aliquid imperare, & aliquid agere, nihil ibi expressum fuerit de ordinatione Presbyterorum: sed saltem per consequentiam. Sc. Si nihil sine præcepto Episcopi Presbyteris licet agere. E. nec sine illo ordinare.* Ceterum sic consequens. *E. Presbyter poterat ordinare, nec illi simpliciter negatur ordinatio: sed saltem secundum quid.* Cum sc. ordinare posset tam Presbyter quam Episcopus, hic quidem sine præcepto superioris ordinare poterat, eidemq; Presbyter ex ordine jam recepto merito cedebat: si tamen Episcopus Presbytero committere vellet, hic pariter ordinabat, etsi (quod omnino, ut omnia Ordine, decenter, & tranquillè fierent, opus erat) non sine consensu, & concessionem Episcopi, qui de jure divino tantum habebat juris circa ordinationem, quantum Presbyter, de jure autem Ecclesiastico, amplius quoq;. Sive juxta Petavii criticam legatur: *Chorepiscopis non licet vel Presbyteros, vel Diaconos ordinare: sed nec Presbyteros civitatis sine Episcopi præcepto,* manifesta est *παραδρομία* (cum Presbyteri civitatis jam contineantur in Presbyteris, imò ἐξοχώως dicantur Presbyteri, præregionariis) & corruptio Canonis (cum in græco non habeatur *πρεσβυτέρους; sed πρεσβυτέρας* & vetus translatio latina non habeat *Prebyteros: sed presbyteris*. Si autem planè illud de Presbyteris civitatis omitteretur, manifesta est mutilatio Canonis antiqui Ancyran 13. in cod. can. Univerf. Eccles. canonis XXXIII.

§. 54. Can-





§. 54. Canon ille 13. Ancyranus in vetustissimis Codd,  
 & Interpretibus sic reperitur: *Χορεπισκόποις μὴ ἐξέναι πρεσ-  
 βυτέρους ἢ διακόνους χειροτονεῖν. ἀλλὰ, μετὰ πρεσβυτέρους πόλεως  
 Χωρὸς τῆς ἐπιτροπῆς ὑπὸ τῆς ἐπισκόπου μετὰ γραμμῶν τῶν ἐν ἐκάστῃ  
 παρῳκίᾳ* i. e. *Chorepiscopis non licet presbyteros, aut Diaconos ordi-  
 nare: sed nec presbyteris civitatis, sine permissione Episcopi cum litteris  
 (s. scripto expressa) in unaquaq;* (non ἐν ἐτέρῃ s. aliᾷ, prout lectum  
 Viro docto, assertumq; hinc inde, vid. ille in l. de Episc. & Presb.  
 p. 158. & seq. sed ἐν ἐκάστῃ i. e. unaquaq;) *parœcia, planissimè jam  
 ex verbis græci Canonis, & versione Dionysii Exigui talis sensus elici-  
 tur: quod presbyteris civitatis presbyteros, & Diaconos ( dummodo  
 bono ordine agatur, & cum consensione, vel permissione Epi-  
 scopi id fiat) ordinare permittatur, ac permillum fuerit, nec adeò  
 jure, & possessione ordinandi simpliciter exauctorati fuerunt.  
 Presbyteri per Ancyranū Canonem Cumq; Alexandrinus sederit ab A.  
 311, adusq; A. 326. Concilium autem hoc celebratum A. 314. videtur  
 eodem tempore hic Canon editus, quo Alexander ille jam emis-  
 surus erat decretum contra Presbyteros Alexandrinos hæctenus  
 Ordinatores absolutè, & Patres illos Ancyranos prudenti tempe-  
 ramento voluisse & juri divino, & jam hinc inde recepto, de præ-  
 laturâ Episcoporum præ Presbyteris, cum resp. dignitatis, tum  
 potestatis, Ecclesiastico, consulere; illi, dum non simpliciter ex-  
 cluserunt presbyteros; huic, dum exercitia juris Presbyteralis su-  
 spenderunt à consensu, vel ἐπιτροπῇ, s. permissione Episcopi, eā-  
 demq; (quò certior constaret) sic Episcopali quodam scripto, s.  
 instrumento expressa. Quin, si per Ancyranum Canonem demum  
 suspenditur exercitium juris ordinandi presbyteralis, à permissione Epi-  
 scopi, exhibenda in scripto, E. antea ne quidem opus presbyteris  
 ordinaturis fuit tali permissione, vel Episcopali instrumento.*

§. 55 Objicitur nobis ex eodem seculo 4. *Damasus I. &  
 hujus quarta decretalis. Ceterum in hac nihil in presbyteros: sed o-  
 mnia in Chorepiscopos, & qui tales, sue quietis causâ constituerunt,  
 Episcopos, acerbè dicta. Culpati Chorepiscopi, quod episcopalia in-  
 vaderent, & Diaconos, Hypodiaconos ordinandi, licentiam sibi sumerent:*

Quod



Quid hoc ad præsentem causam *Presbyterorum*, nisi supponatur, Damaso hic idem planè esse *Chorepiscopos*, & *Presbyteros*, & adeò interdictum illis, per Damasi decretum, his quoq; fuisse interdictum. Ceterùm sic decretalis Damasi totum subverteret *Presbyteralem ordinem*. Dicit Damalus, *interrogatum se, an Chorepiscopi* (s. regionarii tales *Episcopi*) *aliquid essent in Ecclesiâ, an nihil?* An autem unquam inter Catholicos talis mota quæstio: *An Presbyteri aliquid sint in Ecclesiâ, an nihil?* & an, *quam habeant in Ecclesiâ auctoritatem?* Et respondisse memoratur Damalus: *Chorepiscopos nihil esse in Ecclesiâ, nec aliquam habere auctoritatem, quin eorum institutionem improbam, nimis pravam, atq; sacris Canonibus contrariam, ad totius Ecclesiæ perturbationem, atq; perniciem directam.* An autem idem responsurus erat Damalus de *Presbyteris*? Non sanè, quippe qui in *Ordinibus Sacerdotalibus* non nisi duos agnovit *Episcoporum*, & *Presbyterorum*, neq; adeò *Presbyteros* habuit hic pro *Chorepiscopis*, de quibus mox addit: *unde processerit certius iste Chorepiscoporum ordo, funditus ignoramus.* Apparet adeò, quàm ex illâ decretali Damasi ineptè, & stolidè inferatur contra *Ordinationem Presbyteralem*. Par ratio objecti *Canonis 10. Syn. Antioch. (celebratæ A. C. 341.)* idemq; *Cod. Canonum univers. Eccles. 87.* Neq; enim hic simpliciter prohibet *Ordinationem*: sed *διχα τῷ ἐν τῇ πόλει ἐπισκόπῳ* s. *seorsim*, & *sine consensu Episcopi civitatis*, neq; verò illam prohibet *presbyteris*: sed saltem *Chorepiscopis*, de quibus non adeò par iudicium in antiquitate.

§. 56. Damasi ex seculo 4. iudicium de *CHOREPISCOPIIS* jamjam notavimus. Huic par *Leonis III. Chorepiscoporum acta Episcopalia omnia irrita* pronunciantis, cui consonans *Francorum Synodus*, & lege latâ *Carolus M.* circa A. C. 800. sanxit illos abolendos, ut tamen diu non constiterit rigor: sed prout jam olim in anterioribus Damaso Conciliis, & *Canonibus universalis Ecclesiæ e. c. Ancyrano can. 13. Neo-Casariensi can. 13. Antiocheno can. 10.* illi *ἐν χώρῳ* s. *regione*, & *vicis Episcopi*, & inde appellati *Chorepiscopi*, habiti sunt velut *Episcoporum oppidanorum Vicarii*, ad exemplum *LXX. illorum Presbyterorum* (Num. II. 24. non *Discipulorum*,

E

de qui-





de quibus vid. Luc. 10. 1. 17. ) constituti, & *συνάγειοι* s. tales, qui  
æquè, ac Sacerdotes, possint offerre etiam in *κωμῶν τῆς πόλεως*  
i. e. in Ecclesiâ civitatis, presentibus Presbyteris civitatis (quod non  
permissum Presbyteris τῆς ἐπιχωρίου s. regionariis) quiq; *χρη-*  
*στίαν* acceperint, & hanc Episcopalem, velut Episcopi ordinati, & con-  
secrati, unde & ordinare possint, etsi non Presbyteros, & Diaconos, ta-  
men Hypodiaconos, Lectores, Exorcistas, quo nomine, nec minus ob stu-  
diam erga pauperes, honorabiles sint habendi: quoniam Damasus ipse in  
eâdem decretali, ubi de sævit, videri voluit, episcopali saltem or-  
dine illos deiecit, de cetero, ut inter Presbyteros collocarentur, ve-  
lut tales, qui ex consecratione suâ nihil sint, quàm Presbyteri, & mini-  
sterio aded Presbyterorum debeant esse contenti, permittente: ita & rigo-  
rem Leonis III. habitæ tunc Synodi, Caroli M. temperarunt A. 829.  
836. 845. congregatæ aliæ Synodi, Parisiensis. c. 27. Aquisgranensis 2.  
c. 4. Meldensis c. 44. & Chorepiscopos in Ecclesiis Gallicanis esse  
permiserunt.

§. 57. Allegata supra de Chorepiscopis Antiochena Sy-  
nodus est. Juvat hanc propius considerare. Ita autem illa  
can. 8. Presbyteri, qui sunt in agris, Canonice epistolas dare non possunt:  
Chorepiscopi autem irreprehensibiles dare possunt pacificas. Quicquid  
sit de Irenicis illis, & commendatitiis, canonicis s. *κωνωνιαῖς*, vel  
communicatoris Epistolis, aperte Chorepiscopi contradistingvuntur  
Presbyteris ruralibus, & illis conceditur, quod non his. Neq;  
aded ipsi Presbyteri rurales intellecti per Chorepiscopos, prout  
visum Viro doctissimo (ac si, prout in canonibus Apostolicis  
Presbyteri appellantur Episcopi: ita & Presbyteri rurales appellentur  
Episcopi, & quia extra civitatem, in vicis, vel pagis regionis, Chori-  
episcopi) nec contra. Ibid can. 10. Qui in vicis (*κώμαι*) regio-  
nibus (*χωραῖς*) vel qui Chorepiscopi nominantur, quamvis manus im-  
positionem Episcopalem perceperint, & ut Episcopi consecrati sint, tamen  
sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, & gubernent  
(*διοικεῖν*) sibi subjectas Ecclesias, *ἐν τῇ ἑκάστη ἐκκλησίᾳ πρεσβυτέρῳ*.  
Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atq; Exorcistas. Nec Presby-  
terum verò, nec Diaconum audeant ordinare, præter civitatis Episcopum,  
cui



cui ipse cum regione (αὐτότε καὶ ἡ χώρα) subiectus est. Nec Chorepiscopum ordinet nisi civitatis Episcopus, cui ille subiectus est. Constat inde (1.) Chorepiscopos accepisse *χρησθεῖαν* Episcopalem, etsi non illâ solemnitate, quâ civitatis Episcopus, nec ordinatum ab Episcopis pluribus: sed uno, eodemq; vicino, cui inspectio in illam regionem commissa. (2.) Chorepiscopum civitatis Episcopo fuisse subiectum, velut superiori. (3.) habuisse gubernationem, vel *διοίκησιν* quarundam Ecclesiarum regionariarum sibi commissam, & aded Presbyteris ruralibus prælatum, qui nec in suâ *χώρα*, nec in civitate admittebantur ad omnia, ad quæ Chori-episcopi. (4.) potuisse etiam ordinare Hypodiaconos, & his inferiores Lectores, Exorcistas (5.) Dubium illud, an non petuerint etiam ordinare Presbyterum, & Diaconum (in vicis) dummodo id facerent ex consensu Episcopi civitatis. Prohibentur enim saltem hos ordinare *ἔχει τὸ τῆς πόλεως Ἐπισκόπος*, quod pro affirmativa militare videtur, sic, ut, cum jamdudum fuissent in possessione juris Chorepiscopalis, Presbyteros sc. & Diaconos (non solum Hypodiaconos, & inferiores) ordinandi, illo jure primò omnium per duriosem Canonem Ancyranum dejecti, vel latet per hunc quoq; Antiochenum, ejus usu, citra consensum Episcopi civitatis, fuerint prohibiti.

§. 58. Quicquid id est, ex canonibus argumentamur 1. Chorepiscopi habuerunt potestatem ordinandi (sc. Hypodiaconos &c.) Chorepiscopi fuerunt Presbyteri (non obstante, quod Presbyterorum in agris constitutorum Collegio fuerint Præpositi) E. Presbyteri habuerunt potestatem ordinandi. Major ex Antiocheno can. 10. (vid. §. præced.) Minor ex Damaso (vid. sup. §. 56. in fine) & concilio Hispalensi can. 7. Chorepiscopi, vel Presbyteri juxta Canones unum sunt. Evidetia aded ex jure canonum quoque Presbyterorum causa, & si de facto, quoad Presbyteros, & Diaconos, res liquida, conf. §. præced. Et frustra tot interdicta, nisi aliquando hos quoque ordinassent, quod sanè in vicis nulli magis videbatur competere, quàm Chorepiscopo. Ponatur autem, non ordinasse: prout sanè can. 13. Ancyrano, c. 7. Hispalensi, & à Damaso prohibentur Presbyteros, & Diaconos ordinare, cum ta-



men hodiè in Ecclesiâ Romanâ Vicarii Episcoporum, s. *Chorie-*  
*piscopi* ordinent Presbyteros, & Diaconos, si hoc hodiè licitum  
contra tot antiquos canones, nec per hos violatur jus divinum,  
& Ecclesiasticum. E. idem permittendum Presbyteris, nec  
per horum ordinationem violatur Jus divinum, & Ecclesiasti-  
cum. Apparet autem ex superioribus, in ruborem meritò  
dandos, qui tantâ impudentiâ vociferantur, ne unum quidem pro-  
bata ordinationis Presbyteralis exemplū in totâ reperiri antiquitate.

§. 59. Remonstravimus hæcenus 1. quomodo ætate A-  
postolica Presbyteralis & Episcopalis, unus ordo, una Ordina-  
tio, æqualis utriusq; nominis dignitas & potestas fuerit, & quo-  
modo, in illâ, Presbyteralibus annis priores, in singulis Pres-  
byteriis jus primæ Cathedræ obtinuerint. 2. Quomodo novo  
inducto more, circa exitus, vel proximè post tempora Aposto-  
lorum, suffragiis Presbyteralibus electi, primi Presbyteri, peculia-  
ri (& respectu ceterorum abdicativè) ratione, non obstante  
Consiliorum participatione, in regimine Ecclesiæ, & æquali Ordina-  
tionis jure, appellati sint EPISCOPI. 3. Quomodo, præcipuè  
circa finem sæculi tertii, vel primordia quarti, ille jam sic præla-  
tus Episcoporum apex, ne vilesceret, & præ Presbyteris, exce-  
ptâ nudi nominis differentiâ, vix quicquam potestatis superio-  
ris: sed æqualia saltem hujus omnia obtineret, translato, non  
Episcopos saltem: sed & Presbyteros ordinandi jure, ad solos sic  
*imexor* appellatos Episcopos, firmatus magis inq; tuto collo-  
catus & cum per alia reservamenta, tum præcipuè per a-  
xioma Ordinationis, communis antea Presbyteralis & Episco-  
palis potestas, in solos sic Canonicè dictos Episcopos transfusa  
fuerit, ac jure Ecclesiastico Episcopis sic Canonicè jam tunc  
contradistinctis arrogata, ut tamen etiam tunc, in casu  
in primis necessitatis, & Episcopalis permissionis, Ordinatio  
activè, Presbyteris quoq; fuerit concessa, & sic liquidò declarā-  
tum, quod Presbyteris non fuerit jure divino interdicta, quo-  
modo 4. deinceps majori Canonum rigore & sacrâ quâdam ty-  
rannide, & illa & alia Presbyteris adempta, Episcopis solis fuerint  
vindicata, ac quomodo *Episcopi* legem talionis experti, per *Metropo-*  
*litanos*



*Siranos, hi per Patriarchas, accisis istorum magis atque magis privilegiis, depressi fuerint, usque dum Unus, & Patriarchatum, quidem semper primus, ceteris impositus, detrimentum fecit omnibus, quos triumphata Ecclesia, & huic praelatorum, per tot gradus, patientiam, discrimine ferè nullo, pessumdedit, & subjugum misit.*

§. 60. Episcopalis sanè cathedræ Romanæ, qualis jactatur, de jure divino primatus & infallibilitas, ejusdemque per modum articuli fundamentalis, vel ipsius Principii fidei, credendæ necessitas, non solum nobis, & nunc quoque numerosissimis Ecclesiis Christianis non probatur: sed nec veteribus in ipsâ sede Episcopis agnita probataque fuit: unde distinct. 99. c. 4. 5. illa *Oecumenici s. universalis Episcopi* titulo opposita fulmina Pelagii II. & Gregorii Magni, externâ certè professione, non ferentium, *sive se, sive quenguam suorum in cathedrâ Romanâ successorum id sibi nominis sumere, velut, quod sit nomen novum, perversum, temerarium, superbum, stultum, scelestum, blasphemum, quo nullus unquam bonus, sive usus fuerit, sive, usus sit & si quis usus unquam, hoc ipso certam fidem facturus, se representatorem esse Archidæmonis & præcurso-rem Antichristi* conf. Gregor. epist. 32, 34. 38. 39. quorum sanctioris Antecessoris salubriû monitorum, quam immemor illius Gregorii M. Successor Bonifacius III. illum *Antichristi*, vel *ipsum quoque Dæmoniorum Principis*, sic notatum à Gregorio M. characterem à Phocâ, per Simoniam à lingua, mox impetravit vel exambierit, & quicquid mensuræ tanti Nominis defuit, Gregorius VII. s. Hildebrandus sec. XI. suppleverit, ex historiâ abundè liquet.

§. 61. Notavimus jam supra §. 3. quibus hypothesebus superstruatur Ordinatio presbyterorum Episcopalis. Ad illas quoque referre licebat illam, quam Synodus Tridentina decernit sess. 14. cap. 5. 9. *Absolutionem Sacramentalem esse actum judiciale, in quo Sacerdos velut Iudex, non in genere saltim: sed & speciatim, ac sigillatim causas criminales cognoscat, & sive remittendo sive retinendo sententiam pronunciet, & per mensuram delicti pœnam imponat, qualis potestas conferri non possit, nisi à superiori jus conferendi potestatem jurisdictionis habente: unde plus ultra ad refer-*





*Uerementa casuum abutum, sc. propter disparitatem potestatis, non licitum esse Presbyteris in omni peccatorum genere, absolvere: sed quosdam casus Episcopis à Presbyteris, quosdam etiam ab illis, soli R. Pontifici reservandos esse, vid. ibid. cap. 7. & can. 11. Et in his tamē reservatis, alicubi longè gravius crimē habet violatio interdicti Papalis, quàm divini, & peccatū in LL. humanas Ecclesiasticas quàm divinas, quomodo impositio tributorum in personas Ecclesiasticas, invasio Romipetarum, inter casus speciales sedis Romanæ reservatos referuntur (vid. const. Pauli II, l. 5. Extr. com. tit. 9. de pœnit. & remiss. c. 3. inserta, Coriolan. de cas. reserv. art. 1.) At adulterium vel stuprum committere, inter crimina, quorum absolutio presbyteris permittitur. Sed & habita ratio prælaturæ Ordinis, quomodo nuda saltem offensa Episcopi par habita Presbytericiidio & posita inter reservata: At offensa Presbyteri æque ac Regicidium inter absolutio Presbyterali permittitur.*

§. 62. Commendavimus supra §. 45. prudens Leonis M. circa A. C. 452. temperamentum, & à Canonum rigore recessum conf. quoque Gratian. dist. 62. c. nulla ratio. Sc. quædam ordinatio Presbyteri, caractere Episcopali ex defectu Canonice electionis & consecrationis destituti, non nulla, nec irrita Leoni M. fuit habita. Neque adeo presbyter ordinans, etiam si in rigorosiores quosdam Canones peccat, jus divinum propriè violat. Jus consuetudinariam & Canonicum, in Ecclesiæ arbitrio, à quo promanavit, positum, varium & mutabile semper fuit, ut sic per illud, vel quod ex illo solo obtinuit, jus divinum aboleri nequaquam possit, nec per illud, Presbyteris, jus (ordinandi) adimi, quod jus divinū illis tribuit. Ab illâ, quàm & hodiè, & jam dudum Episcopi præ Presbyteris habent, prælaturâ, argumentari ad primos illos Episcopos circa tempora Apostolica, est, ab hodiernâ Papparum pompâ & *ὡδῶν Φαρμακίας* (illam Agrippæ Act. 25, 23 longè transcendente) argumentari ad parè pompâ Petri & Pauli. Neq; enim, quâ hodiè habent potestatem & jurisdictionem Episcopi, sive semper habuerunt, sive jâ olim, ut Episcopi, de jure divino, superiores Presbyteris. Interdictum jam olim multis Canonibus est *Presbyterale conjugium*: at ubi abusus ex imperatâ continentia innotuit, permittere Presbyterorum matrimo-

nia



nia tutius consilium fuit. Ita bono olim sine titulo & ὑπεροχῇ  
Episcopi, unà cum jure ordinandi, transire ad Episcopos potuit:  
at ubi deinceps abusus innotuit, causa omnis ad praxin veteris  
Ecclesiæ primitivæ revocari. Neque verò attinet funem con-  
tentionis trahere cum illis, qui à piâ antiquitate selectis quibus-  
dam, velut eminentioribus Presbyteris, collatâ Episcopi ὑπεροχῇ  
& retentam cupiunt, (dummodo inde non efferantur ad versus pres-  
byteros) neque cum illis, qui Ordinationem & ἐξοχὴν illam  
Episcopalem humano se debere instituto, obliti, plus ultra,  
quàm fas, sibi arrogant, & vel hoc nomine tumultuari amant.  
Satius est, jugum, etsi asperius, ferre, quàm per vim, inevitabili in-  
firmorum scandalo, & totius religionis dedecore nefando, peri-  
culosam detestandi semper schismatis aleam subire, & malo no-  
dò, malos cuneos summâ vi adhibendo, ad deiciendos illos ὑπε-  
ρίαν ἀπλήτους Episcopos Papales Presbyteris belli signum ex-  
plicare.

§. 63. Æquâ tamen lege, quâ S. R. Imp. Principes, & Or-  
dines A. Confessionis addicti, pro suo regali *jurisdictionis Ecclesia-  
sticæ*, quod externam gubernationem, & diocesanam provisio-  
nem, ne hæc ab Episcopis Pontificiis (quibus ante tot secula, ex-  
autoratis, quibus de jure divino debebatur, supremis terrarum  
Dominis æquè à potestate hujus *jurisdictionis*, ac Presbyteris à  
potestate *ordinationis*, illa universa, sic volente supersanctissimo  
Papâ, cesserat) in Ecclesias A. Confessionis dein exerceretur,  
non saltem suspensionem per legem publicam pacis religiosæ  
superiori seculo A. 1555. sed & omnimodam restitutionem per  
Instrumentum Pacis Osnabrugense, & Monasteriense, ante an-  
nos 31. impetrârunt, etiam Presbyteri nostri primi, Papatu, supe-  
riori seculo egressi, jure suo usuri (quo qui *utitur, nemini facit,  
injuriam*) id quod sibi ex axioma divino pariter, & antiquo  
Ecclesiastico debebatur, repetere, s. vindicare, & restitutionem in  
integrum, quoad ipsum jus ordinandi, ac hujus liberum exerci-  
tium (quod in ordinato A. 1541. Nicolao Amstorsio Naumbur-  
gensi Episcopo, ipsâ praxi, ostenderunt) sanctionis divinæ auctori-  
tate impetrare potuerunt, pari, in quâ, imò meliore jure, quâ quo,  
prout presbyteris Episcopi: ita Episcopis Metropolitanis, his Patri-  
archæ:





chæ, & his tandem unus toti orbis impositus, quæ Clericorum sunt, & potestati seculari, quæ Regum, & Principum sunt, cum in spiritualibus, tum in temporalibus rapiendo, vel intervertendo, sacram quandam Nemesis spoliis Presbyteralis, & Principalis spectandam dederunt.

§. 64. Optandum, ut *quæ DEI sunt, DEO, quæ Cesaris, Cesari restituantur, & in ipsâ quoque Ordinatione, ad jus divinum, & antiquum Ecclesiasticum, restitutis apud Papistas in integrum Presbyteris, cuncta revocentur, nec in unum, quijam per tot secula orbi impositus est, & imponit, conferantur, quæ communia Episcoporum sunt.* Zosimo quondam Pontifici Romano per *Faustinum Episcopum Potentinum & Philippum, ac Afellum Presbyteros, Legatos in Africam missos, postulanti appellationes transmarinas Africanorum ad sedem Romanam, & jus mittendi suos à lateris Legatos in Africam, ad cognoscendas isthic Episcoporum causas, & pro hoc suo postulato, non jus divinum, non 400. annorum possessionem juris: sed Nicænæ Synodi canonem prætendenti, per 217. Episcopos Carthaginens. Synodi, quos inter eminuit S. Augustinus, remonstratum, & falsatum istum Roma, qui afferebatur, & allegabatur, Canonem, & factum illum Episcopo indecorum. Factum idè Bonifacio, & Celestino, Zosimi Successoribus, prohibitum quæ, ne quis ex Africâ ad judicium Romani Præsulis appellaret, qui sanè Patres Carthaginenses, quod ex *novellis regulis* potius, quàm jure divino deducebatur, admittere noluerunt. Quicquid sc. *novellis regulis* prohibitum (prout agnitum jam supra à Patribus Synodicis Hispalensibus §. 48. est circa Ordinationem Presbyterorum) prout ante prohibitionem fuit liberum: ita novellis illis regulis libellus repudii mitti potest. Regulæ novellæ ne quidem jus primordiale Ecclesiasticum, multò minùs divinum, & Apostolicum perimere possunt. Jura, & consuetudines humanæ, dummodò id fiat citra tumultum, & bono ordine, eodem arbitrio, quo introductæ sunt, abrogari possunt. Quod superest, **FILIO HOMINIS AMBULANTI IN MEDIO VII. CANDELABRORUM ET TENENTI SEPTEM STELLAS IN DEXTRA SUA SIT GLORIA ET MAJESTAS IN SECLA SECLORUM! AMEN.***



AD PRÆCELLENTEM  
DN. MICHAELEM HENTSCHELIUM, LUBECENSEM,  
S. S. Theol. fulgidissimum Cultorem,  
DE EPISCOPIS ET PRESBYTERIS,  
Et horum jure circa Ordinationem,  
Publicè RESPONDENTEM.



Sic artibus, lingvisq; pectus excultum,  
Dicare sanctoribus juvat curis,  
Mentisque cultæ publicare sementem,  
( Quæ polliceri floridam qveat messem )  
Inter Coronæ doctioris orchestras,  
Et audientis & faventis applausus!

Sublimis atqve dedicata mens cœlo  
Quæ gens egena laudis ambit, infano  
Flagrans amore, temnit, atqve se fursum,  
Humove tollit, arduam ut colat sedem,  
Templumqve honoris, involat quod haut ales  
Ni jam suos probaverit prius cantus  
Perennitatis arce splendida dignos.

Hic vera dos, bonumqve purpurâ majus  
Non umbra vana, non inane certamen,  
Est veritatis orbe celsius regnum.

Gratamur ausus, atqve nobiles palmas  
Animos calentes Numini sacro sanctos  
( Ut dens Quirini roserit Theoninus )  
Templo decoros, ORDINI triumphales,  
Et universæ Ecclesiæ salutare.

EPISCOPO dum PRESBYTER quid intersit  
Utrique CHOREPISCOPUS, juvat luci  
Nunc publicare, seculisque venturis  
Præferre lucem, ne fides Tridentino  
Vel Hispalensi constet ulla decreto.

F

TW



Tu, macte, profer vocem, quod potes, doctam,  
Placebit illud ORDINI Sacerdotum,  
Sibi que, nomen inferendo, transcribet!  
**AUGUSTUS VARENIUS, D.**

**Q**uam detur sacer ordo manu, nunc altera cura est,  
Altera, qui dignè suscipiatur, erit.

*Ita studiis Dn. RESPOND. optimè ominatur*

**J. C. SCHOMERUS, D.**

**MICHAEL HENTSCHELIUS.**

*наш авая; елс. асп.*

**LAC, ET MEL SIS UNICE!**

**M**ELLIS ut est usus pergratus tempore quovis,  
Utque itidem LACTIS gratia grata venit,  
HENTSCHELI, sic Tu PATRIAM virtutibus ornas,  
Qui Musas cultam dexteritate colis.  
LACTEUS ergo opere, & PATRIÆ sis MELLEUS usu,  
Te Deus illustri ditet in orbe loco!

*Hoc Encomio, & voto nunquam satis laudatum, atq. ita omnium  
virtutum genere Clariss. Dn. Hentschelium, Condictorem,  
& Amicum Honoratissimum, de Ordinatione Presbytero-  
rum publicè Respondentem, prosequi debuit*

**M. HENRICUS CARMOHN.**

*Eccles. Cathed. Archid.*

**O**rdinibus sacris dederit quæ jura Vetustas,  
Et quis Praesulibus, Presbyterisq. locus,  
Ordine perdocto jam, suavis Amice, recenset,  
Eqve sacra cathedra tale tueris opus.  
Eveniat quondam Tibi convenientior ordo,  
Quem tua sedulitas, quem pia cura meret!  
Sic de distinctis, ita fortunante Supremo,  
Proderit ordinibus differuisse sacris.

*In honorem Per-Eximii Dn. Hentschelii paucula*

*hac apponere voluit, debuit*

**A. VARENIUS, D.**


































DISSERTATIO THEOLOGICA  
<sup>DE</sup>  
PRESBYTE-  
RORUM CLERICORUM  
DIGNITATE, ET POTE-  
STATE ORDINANDI

Ex jure divino, & antiquo Ecclesiastico,  
& hac occasione

<sup>DE</sup>  
EPISCOPI, PRESBYTERIS,  
CHOREPISCOPI,

<sup>Quam</sup>  
In illustri Academia ROSTOCHIENSI  
Moderatore supremo animarum nostrarum EPISCOPO,  
Eodemq; nostrae confessionis APOSTOLO,  
CHRISTO JESU,

<sup>PRÆSIDE</sup>  
DN. AUGUSTO VARENIO,

D. Coll. Theol. & totius Univers. Rostoch. SENIORE  
Facult. Sacrae Theol. h. t. DECANO

*DOMINO, Praeceptore, Patrono, & Hospite suo omnioberantia cultu  
ab æternum debenerando,*

*Publicae Eruditorum collationi submittit*

MICHAEL HENTSCHELIUS,  
LUBECENSIS,

*Ad diem XXVIII. Januar. Anni M. DC. LXXXII.*

IN AUDITORIO MAGNO,

*horis inde ab 8<sup>va</sup>. antemeridianis.*

ROSTOCHI Typis Viduae B. FRID. KELLENBERGII, Universit. Typogr.